



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Concilium Romanum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

ANNO
CHRISTI
465.

xerunt. Sublimatus autem ecclesias ad solum vsque destructas, vt potuit, reparare vacauit. Erat largus in muneribus dandis, sedulus in diuinis obsequiis, &c.

CONCILIVM ROMANVM
XLVIII. EPISCOPORVM,
sub Hilario papa celebratum anno Domini CCCCLXV.

TITVLI CANONVM.

- I. *Canones Nicani, vel apostolica sedis decreta custodiantur.* *nus habentes, ad superiorem ordinem non accedant.*
- II. *Vt bigami, aut vidue, aut corrupta mariti, ad ecclesiasticos gradus non accedant.* IV. *Vt ea qua illicitè episcopus, vel decessor eius ordinauit, ab eo qui superest, emendentur.*
- III. *Vt penitentes, aut inscii literarum, siue defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habentes, ad superiorem ordinem non accedant.* V. *Vt nullus episcopus sibi eligat successorem.*

PRÆFATIO.

* Basilico & Herminero viris clarissimis
* Basilico
co
* Paulo
F L A V I O * Basilico & Herminero viris clarissimis
consulibus, sub die decimoquinto Kalendarum Decem-
brium, residente viro venerabili Hilario papa in basi-
lica sanctæ Mariæ, & * Maximo Taurinæ ciuitate prouin-
ciæ Galliarum, * Ingenuo Ebredunenfi, prouinciæ * SS.
Mediolanensis prouinciæ * SS. Saturnino Auinionensis
prouinciæ * SS. Petro Portuensis, * Paulino Aquæuiuen-
fi, Primo Atellano, Palladio Salpinati, Gaudentio Al-
bingensi, Sotere Neapolitano, Tiburtio Capuano, Gau-
dentio Scyllateno, Felice Lucensi, Eubodio Tifernensi,
Eusebio Senensi, Maioriano Astensi, Iusto Faentino,
Felice Sipontino, Concordio Barino, Verano, * Capra-
rio Cassitano, Ianuario Prænestino, Constantino Aquina-
ti, Adeodato Cumano, Prætextato Interamnino, Tiberio
Curicum Sabinorum, Claudio Puteolano, Geron-
tio Camerino, Adeodato Veliterno, Lucifero Triumta-
bernarum, Crispiano Subaugustano, Romano Albanen-
si, Seruodei Nomentano, Florentio Clusino, Hilario
Amerino, Candido Tiburtino, Paulo Foronouano, Eu-
sebio Sutriano, Apuleio Tarquinienfi, Gaudentio An-
Concil. Tom. 9. Rrr ij

tiatino, Asterio Gabinati, Proiectio Nepesino, Asterio Foroiuliensi, Philippo Numanati, Gudentio * Vecconensi, Restituto & Octauio Afris: Residentibus etiam vniuersis presbyteris, adstantibus quoque diaconibus, Hilarus episcopus ecclesie catholice vrbis Romae, Synodo praesidens, dixit.

ANNO
CHRISTI
465.* Volsin.
vel Vulsinien.

C A N O N E S.

I.

Quoniam religiosus, sancto Spiritu congregante, conuentus hortatur, vt quaecumque pro disciplina ecclesiastica necessaria sunt, cura diligentiore tractemus: si placet, fratres, ea quae ad ordinationum tenorem pertinent, iuxta diuinae legis praecipua & Nicænorum Canonum constituta, ita adiuuante Domino in omne * æuum mansura solidemus, vt nulli fas sit sine status sui periculo, vel diuinas constitutiones, vel apostolicæ sedis decreta temerare: quia nos, qui * potissimi sacerdotis administramus officia, talium transgressionum culpa respiciet, si in causis Dei desides fuerimus inuenti: quia meminimus, quod timere debemus, qualiter comminetur Dominus negligentiae sacerdotum. siquidem reatu maiore delinquit, qui potiori honore perfruitur: & grauiora facit vitia peccatorum, sublimitas dignitatum.

25. qu. 1. c.
Nullifas
sit.

* tempus

* potissimi

Ezech. 5.
c. 23.

II.

Dist. 34. Cu-
randum est.

Cauendum ergo imprimis est, ne ad * sacros gradus, sicut gestis prioribus ante praescriptum est, quisquam, qui vxorem non virginem duxit, aspiret. Repellendus est etiam quisque, qui in secundæ vxoris nuptias contra apostolica praecipua conuenit.

ANNO
CHRISTI
465.

* alio

* illic
tus.

ANNO
CHRISTI
465.

III.

Inscii quoque literarum, nec non & aliqua membrorum damna perpeffi, & hi qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare non audeant. Quisquis talium consecrator extiterit, factum suum ipse dissoluet.

Dist. 55.
cap. pœnitentes vel
infcii.

IV.

Sed & quod quis commisit illicite, aut a decessoribus suis inuenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit: nos enim in nullo volumus seueritatem ultionis exercere. Sed qui in causis Dei vel contumacia, vel in aliquo excessu deliquerit, aut ipse quod perperam fecit, abolere noluerit: in se, quidquid in alio non refecarit, inueniet. Quod ut deinceps possit tenacius custodiri, si placet, sententias, causas & subscriptiones proprias omnes commendate, ut synodali iudicio auditus claudatur* illicitis. Ab vniuersis episcopis & presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe, Hilario vita: dictum est sexies. Hæc & confirmamus, & hæc docemus: dictum est octies. Hæc tenenda sunt, hæc seruanda sunt: dictum est quinques. Doctrinæ vestræ gratias agimus: dictum est decies. Ista ut in perpetuum seruentur, rogamus: dictum est quindecies. Ista per sanctum Petrum, ut in perpetuum seruentur, optamus: dictum est octies. Hæc præsumptio nunquam fiat: dictum est decies. Qui hæc violauerit, in se inueniet: dictum est septies. Et facto silentio, Hilarius episcopus dixit.

* alio

* illicitus.

V.

Præterea fratres, noua & inaudita (sicut ad nos

R r r iij

missis de Hispaniis epistolis, sub certa relatione peruenit) in quibusdam locis peruersitatum semina subinde nascuntur. Denique nonnulli episcopatum, qui non nisi meritis præcedentibus datur, non diuinum munus, sed hereditarium putant esse compendium: & credunt, sicut res caducas atque mortales, ita sacerdotium, velut * legali aut testa-
 mentario iure, posse dimitti. Nam plerique sacer-
 dotes in mortis confinio constituti, in locum suum feruntur alios designatis nominibus subrogare: vt scilicet non legitima expectetur electio, sed defuncti gratificatio pro populi habeatur assensu. Quod quam graue sit, æstimate. Atque ideo, si placet, etiam hanc licentiam generaliter de ecclesiis auferamus, ne (quod turpe dictu est) homini quisquam putet deberi, quod Dei est.

s. q. r. c. Plerique sacerdotes.

ANNO
CHRISTI
465.

* legatio

ANNO
CHRISTI
465.

* legatio

Vt autem, quod ad nos prolatum est, ad vestram etiam possit peruenire notitiam, Hispanorum fratrum & coepiscoporum nostrorum scripta legantur. Paulus notarius recitauit.

° EPISTOLA I.

TARRACONENSIVM EPISCOPORVM
AD HILARVM, IN CONCILIO LECTA.

Rogant vt Hilarus papa Irenæum episcopum, quem Nundinarius episcopus de ecclesia bene meritus testamento suo in Tarraconensi ecclesia successorem designauit, confirmet, deque Siluani episcopi factæ sententiam suam rescribat.

*Beatissimo, & apostolica reuerentia a nobis in Christo colendo
papæ Hilario, Ascanius & vniuersi episcopi
Tarraconensis prouinciæ.*

QVAM curam apostolatus vester de prouinciarum suarum sacerdotibus gerat, filio nostro illustri Vin-

* legatio

ANNO
CHRISTI
465.

centio, duce prouinciæ nostræ, referente, cognouimus: cuius impulsu votum nostrum in ausum scribendi prona deuotione surrexit. Ergo prouinciali literario sermone debita coronæ vestræ obsequia deferentes, his quæsumus, vt dignatione qua ceteros, etiam humilitatem nostram in orationibus vestris in mente habere dignemini, beatissime & apostolica reuerentia in Christo a nobis colende pater, illud specialius deprecantes, vt factum nostrum, quod tam voto pene omnis prouinciæ, quam exemplo vetustatis in notitiam vestram defertur, perpensis assertionibus nostris, roborare dignemini.

* legeretur,

Et cum * legeret, ab vniuersis episcopis & presbyteris acclamatum est: Exaudi Christe, Hilaro vita: dictum est decies. Hæc præsumptio nunquam fiat: dictum est sexies. Quæ Dei sunt, ab homine dari non possunt: dictum est sexies. Per dominum Petrum rogamus, vt in perpetuum feruentur: dictum est sexies. Hæc vt reseruentur, rogamus. Hilarus episcopus dixit: Lege. Paulus notarius recitauit: Episcopus Barcinonensium ciuitatis sanctus Nundinarius sortem expleuit conditionis humanæ. Hic episcopo venerabili fratri nostro Irenæo, quem ipse antea in diocesi sua nobis volentibus constituerat, derelinquens ei quod potuit habere paupertas, supræ voluntatis arbitrio, in locum suum vt substitueretur, optauit: sed defuncti iudicium in eius meritum non vacillat. Et cum

Acclamationes patrum interpretæ.

* legeretur,

* legeret, Probus episcopus e confesso surgens, dixit: Illud licuit, hoc non licuit. Successores Deus dat. Auctoritate vestra resistite huic rei per apostolatam vestrum. Hilarus episcopus dixit: Percurre quæ cœperas. Paulus notarius recitauit: Siquidem omnis clerus & plebs eiusdem ciuitatis, & optimi & plurimi prouinciales, vt idem eius locum obseruaret, a nobis sperauerunt, dato consensu. Nos cogitantes defuncti iudicium, & probantes eius vitam, & eorum nobilitatem atque multitudinem, qui petebant, simul & vtilitatem ecclesiæ memoratæ, optimum duximus, vt tanto sacerdoti, qui ad diuina migrauerat, non minoris meriti substitueretur antistes, præsertim cum ecclesia illius municipii, in qua ante fuerat ordinatus, semper huius ciuitatis ecclesiæ fuisse diocesis constet. Ergo suppliciter precamur apostolatam ve-

Interlocutiones patrum.

strum, vt humilitatis nostræ decretum, quod iuste a nobis videtur factum, vestra auctoritate firmetis. Iamdudum sane questi fueramus literis nostris de præsumptione Siluani episcopi: & miramur, quod nulla apostolatus vestri responsa suscepimus. Nunc hæc eadem suggerentes, petimus, vt quid super his rebus obseruandum sit, apostolicis sermonibus nos dignemini informare. Et ne forsitan per negligentiam portitoris, aut per longinqui itineris difficultatem, humilitatis nostræ ad vos scripta non potuerint ex hoc negotio peruenire, etiam suggestionem nostram maluimus iterare. Et subscriptio: Orantem pro nobis sanctum apostolatum vestrum iugi xuo diuina conseruet æternitas nobis omnibus & ecclesiæ suæ, domine * vere noster & apostolice papa. Hilarus episcopus dixit: Alia epistola recitetur. Paulus notarius recitauit.

Interlocutio Hilari.

ANNO
CHRISTI
465.

ANNO
CHRISTI
465.
tionis
peruenit
discipli-
nam
* defini-

* ipsum

* Pauli
nus

* vene-
randa

EPISTOLA II.

TARRACONENSIVM EPISCOPORVM
AD HILARVM PAPAM, IN CONCILIO RECITATA.

Domino beatissimo, & apostolica reuerentia a nobis in Christo colendo papæ Hilario, Ascanius episcopus & vniuersi episcopi Tarraconensis prouinciæ.

ETSI nulla * extaret necessitas ecclesiasticæ disciplinæ, * distari expetendum reuera nobis fuerat: &c. usque ad finem, vt supra inter epistolas Hilari.

Ab vniuersis episcopis & presbyteris acclamatum est: Vt hæc emendentur, rogamus: dictum est sexies. Vt hæc * recidantur, rogamus: dictum est septies. Vt disciplina seruetur, rogamus: dictum est octies. Vt antiquitas seruetur, rogamus: dictum est quinquies. Vt Canones custodiantur, rogamus: dictum est septies. Vt in præsumptoribus vindicetur, rogamus: dictum est septies. Ordinatio apostolica illibata seruetur: dictum est octies. Exaudi Christe, Hilario vita: dictum est quinquies. Dignus papa, dignus doctor: dictum est octies. Hilarus episcopus dixit: Acceptis quæ recitata sunt, de omnibus nunc fratres speciales sententias, Deo vobis inspirante, depromite. Maximus episcopus ecclesiæ Tauritanæ dixit: In custodiendis omnibus quæ ad * sacras ordinationes pertinent, disciplinis, * facra ordinamur, melius

ANNO
CHRISTI
465.
tionis
pertinent
discipli-
nam.
* definitio.

* ipsum

* Pauli-
nus

melius sententiæ meæ professione * denuntio, nihil a me vnquam eorum quæ prohibita sunt, esse faciendum. De reliquis censeo, vt quisquis talia fecerit, aut detecta in ecclesijs refecare noluerit, se graues causas in apostolicæ sedis iudicio redditurum, in quo illi necesse erit subire sententiam. Ingenuus episcopus Ebredunensis dixit: Mihi quoque eadem de omnibus partibus sententia est, quæ me * ipse constringo, ne quid a me vnquam de his quæ sunt interdicta tentetur: quia noui statum & professionem meam. De ceteris etiam censeo, vt quisquis statutorum transgressor extiterit, sciat se ecclesiasticæ regulæ laqueis innodari, & reatum apostolicæ sedis incurrere. * Paulus episcopus Aquæuiuæ dixit: Ego quoque simili me lege constringo, & de ceteris qui transgressores fuerint pariter censeo, ne eis sine periculo sui quidquam tale tentare liceat, quod merito debeat vindicari. Primus episcopus ecclesiæ Atellanæ dixit: Hoc & ego censeo obseruandum. Palladius episcopus ecclesiæ Salpinatis dixit: Nihil me contra disciplinam ecclesiasticam, vel statuta sanctorum Canonum facturum esse polliceor. Tiberius episcopus ecclesiæ Sabinensis dixit: Profiteor me statuta sedis apostolicæ in omnibus custodire: & si in ecclesia mea clericorum aliquem contra præcepta sanctorum Canonum deprehendero aut mulierem duxisse, aut duas habere vxores, ab ecclesiastico officio separari. Ab vniuersis episcopis dictum est: Sententias fratrum omnes sequimur, omnes confirmamus, & obseruandas esse decernimus. Exaudi Christe, Hilario vita: dictum est sexies. Quæ male admissa sunt, per te corrigantur: dictum est octies. Quod non licet, non fiat: dictum est octies. Hilarius episcopus ecclesiæ vrbis Romæ, Synodo præsidens, dixit: Quoniam præsentis definitionis formam, quæ secundum sanctorum est statuta sententiam, in omnium ecclesiarum notitiam peruenire decernimus, ne cuiquam pro sui possit ignoratione licere, quod non licet, edere gesta notariorum sollicitudo curabit.

Concil. Tom. 9.

S ff

EPISTOLA SYNODALIS

HILARI PAPÆ

AD ASCANIVM ET RELIQVOS
TARRACONENSIS PROVINCIÆ EPISCOPOS.ANNO
CHRISTI
465.

POSTQVAM literas vestræ dilectionis accepimus, &c.
Excusa est supra inter epistolas Hilari.

NOTÆ.

Causa Con-
cili.

* *Concilium.*] Qua occasione, quæ de causa hoc Concilium Romæ celebratum sit, indicat Hilarius papa epistola 8. his verbis. *Presidente fratrum numeroso Concilio, ex diuersis prouincijs ad diem natalis nostri in honorem beati Petri apostoli per Dei gratiam congregato, &c. & epist. 1. Lectis in conuentu fratrum, quos natalis mei festiuitas congregarat, literis vestris, quæ de ordinandis episcopis secundum statuta Canonum vel prædecessorum meorum decreta sunt, discetis.* Vnde patet, quod cum ad celebrandum diem creati pontificis Hilari 48. episcopi Romam conuenissent, ex Hispania diuersæ epistolæ Tarraconensium episcoporum allatæ sunt: quarum prima Siluanum de ordinatione perperam facta denuntiavit: altera Irenæum, quem sibi Nundinarius iam moriturus successorem designauerat, confirmari petiuit. Itaque postquam in nomine sancti Spiritus congregati tria decreta ad rectam ordinandorum clericorum dispositionem spectantia, constituta, omniumque acclamationibus approbata edidissent, consultationes duæ, quas per duas literas episcopus Tarraconensis ex Hispania miserat, in medium allatæ sunt. Recitata est vtraque epistola. Priore loco illa quæ posterius scripta fuerat, Nundinarii Barcinonensis episcopi, & eius successoris Irenæi, causam continebat.

Acta Con-
cili.

Posteriore loco illa quæ de Siluano Calaguritano episcopo querelam iniustæ ordinationis habebat. Quid in vtroque negotio definitum sit, acta declarant. In hac eadem Synodo ab Hilario papa ad ædificationem vniuersalis ecclesiæ constitutionem editam fuisse, refert Anastasius in vita Hilari his verbis. *Fecit constitutum de ecclesia in basilica ad sanctam Mariam, consularu Basilisci & Hunnerici, decimo sexto Kalendas Decembris.* Hilarius papa epistola 1. synodica fatetur, pro Siluano episcopo quædam producta fuisse, quæ ad euitandum schisma ecclesiæ Hispanicæ, pontificem ad dispensandum cum eodem Siluano commouerent. Quæ cum in actis huius Concilii desiderentur, ea mutila & non integra esse, euidentissimo argumento conuincitur. Hæc Synodus vno mense & duodecim diebus durasse videtur. Constat enim in principio actorum eam 15. Kalendas Decembris inchoatam, tertio Kalendas Ianuarias, quando synodica ad Tarraconenses reddita est, absolutam fuisse.

Acta Con-
cili
mutila
sunt.

ANNO CHRISTI 465.

^b Flauio Basilio, &c.] Anno nimirum Christi 465. qui est Hilari pontificis quintus, & Leonis imperatoris nonus.

Tempus Concilii.

^c Maximo Taurinensi.] Moris erat antiquissimi, vt post patriarchas in synodali confesso, inter simplices episcopos primum locū sibi vendicaret is qui in episcopatu plures annos egerat, quantumvis dignitate inferior fuisset. Eodem iure accidit hic, vt Maximus Taurinensis episcopus, Mediolanensi prerogatiua sedis inferior, post Romanum pontificem primo loco ponatur. Hunc plurimos annos in episcopatu egisse, ex eo poteris intelligere, quod de illo agens Gennadius de viris illustribus cap. 40. tradit eum vixisse sub Honorio & Theodosio iuniore; quodque Concilio Mediolanensi anno 451. sub Leone habito interfuerit & subscripserit.

Confessus quis.

Maximus Taurinensis episcopus.

^d Ingenuo.] Hic est ille Ebredunensis episcopus, Alpium maritimarum metropolitanus, qui de inuasione suae dioceseos iuribus apud Hilarem pontificem conquestus, causae illius cognitionem Leontio delegari impetrauit. Vide quae supra dixi in notis epist. 4. Hilari ad Leontium, verbo epistola.

Ingenuus episcopus quis.

^e Epistola Tarraconensium.] Hae sunt illae epistolae duae, quas Tarraconenses ad Hilarem pontificem transmiserunt, quibus dum legerentur in Concilio, patres suas sententias & acclamationes maioribus typis excusas interposuerunt. Notas harum epistolarum cum notis synodicae require supra.



ANNO CHRISTI 467.

VITA,
EPISTOLÆ, ET DECRETA
SIMPLICII PAPÆ.

Ex libro pontificali.

SIMPLICIUS natione Tiburtinus, ex patre Castino, ^b sedit annos quindecim, mensem vnum, dies septem. Hic dedicauit basilicam S. Stephani in Caelio monte in vrbe Roma, & ^c basilicam beati apostoli Andreae iuxta basilicam sanctae Mariae, & aliam basilicam S. Stephani iuxta basilicam sancti Laurentii, & aliam basilicam intra urbem Romam iuxta palatium Licinianum, beatæ martyris Bibianæ, vbi corpus eius requiescit. Hic ^d constituit ad sanctum Petrum apostolum, & ad sanctum Paulum apostolum, & ad sanctum Laurentium martyrem, hebdomadas, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptismum, ^e regionem tertiam ad sanctum Laurentium, regionem primam ad sanctum Paulum, regionem sextam vel septimam ad sanctum Petrum. ^f Sub huius episcopatu venit

Concil. Tom. 9.

St ij

relatio de Græcia ab Acacio Constantinopolitano episcopo, & affirmavit Petrum Alexandrinæ vrbis Eutychnianistam hæreticum, facta petitione ab Acacio episcopo, chirographo eius constructa. Eodem tempore fuit ecclesia prima, hoc est, sedis apostolicæ executrix. Tunc Simplicius præsul hoc audiens, damnauit Petrum Alexandrinum, de quo Acacius innumerabilia crimina affirmabat: ita tamen, vt pœnitentiæ reseruaret tempus. Eodem tempore rescripsit Timotheus catholicus, & Acacius, dicentes, quod etiam in morte Proterii catholici Petrus esset permixtus. Tunc archiepiscopus Simplicius dissimulans, nunquam rescripsit Acacio, sed damnauit Petrum, expectans tempus pœnitentiæ. Hic fecit in ecclesia Romana scyphum aureum, pensantem libras 5. cantharos argenteos ad beatum Petrum 16. pensantes singulos libras 12. Hic fecit ordinationes in vrbe Roma tres per mensem Decembrem & Februarium, presbyteros quinquaaginta octo, diacones vndecim, episcopos per diuersa loca numero triginta sex. Hic sepultus est in basilica beati Petri apostoli, vi. Nonas Martii, & cessauit episcopatus dies 6.

NOTÆ.

Simplicius
quando
pontifex
creatus.

* *Simplicius.*] Cum post obitum Hilari decem diebus sedes vacasset, anno Christi 467. qui est Leonis imperatoris orientalis 11. vigesimo die Septembris creatus est pontifex Simplicius Tiburtinus Castini filius. Huius temporibus totus ferme Christianus orbis sub hæreticorum principum dominio constitutus fuit, nullusque penitus rex catholicus alicui saltem exiguæ prouinciæ dominabatur. Et enim post Anthemium, Olybrium, Glycerium & Augustulum occidentis imperatores occisos vel relegatos, Odoacer Erulorum rex Arianus iuxta vaticinium sancti Seuerini, Noricorum & vicinarum gentium apostoli miraculis clarissimi, Italiam totumque occidentale imperium suo dominio subiecit, tituloque imperatoris, purpura & regalibus indumentis abiectis, regio tantum nomine vsurpato, deinceps tenuit. Gallias cum Hispania Ariani Gothi obtinuerunt. Dirus catholicorum persecutor Arianus & tyrannus rex Genfericus vniuersæ Africæ imperauit. In oriente post obitum Leonis, Zeno imperator Eutychnianus simulata perfidia acerbissimum se ecclesiæ impugnatorem præbuit. Petrum Fullonem Acæmetarum monachum, & Timotheum Ælurum sacrilegum Alexandrinæ ecclesiæ inuaforem, quos ob hæresim & seditionem Leo imperator iustissimo iudicio in exilium relegarat, Zeno imperator impius non tantum ab exilio reuocauit, verum etiam Martyrio

Romanum
occidentale
imperium
defecit.

Antiocheno, & Timotheo Alexandrino, præsulibus sanctissimis & catholicis inde eiectis, monachos sacrilegos & apostatas iisdem, non sine magno totius ecclesiæ periculo ac dispendio, subrogauit. Ad hæc non parum perturbationis addidit Acacii Constantinopolitani violenta ambitio, qua conatus est diu desideratam sedis Constantinopolitanæ prærogatiuam per imperatorem a Simplicio extorquere, quam sub prædecessoribus pontificibus duobus aliquoties frustra expetiuerat. Inter has maris procellas ventorumque turbulentas agitationes, barbaricos inter furores & Arianorum procaciam cum potentia coniunctam, deploratissimis hæc temporibus, Simplicius pontifex, omnium Christianorum principum præsidio destitutus, eadem auctoritate & libertate, qua semper antea prædecessores, in cathedra Petri confedit. Ambitioni præsulis Acacii, teste Gelasio epistola vndecima ad episcopos Dardaniæ, restitit: Timotheum Ælurum sede Alexandrina eiecit: imperatori Zenoni Concilium vniuersale exigenti contradixit, eumque post editam fidei confessionem in communionem ecclesiæ recepit, ea lege, vt se catholicæ fidei defensores præberet, Fullonemque impiissimum Antiochenæ sedis detentorem vrbe & episcopatu eiiceret. De rebus Alexandrinis, prout ipse pro sua vniuersorum sollicitudine petierat, ab Acacio per literas certior redditur: nimirum, quod Timotheus Ælurus Alexandrinæ ecclesiæ inuasor sibi ipsi mortem hausto veneno intulisset, & Timotheus catholicus in sedem, vnde eiectus fuerat, restitutus esset. Cum ex Alexandrinæ ecclesiæ legatis (quos Timotheus episcopus Romam miserat ad postulandam veniam, ob id quod Eutychnorum timore perterritus Dioscorum ad altare nominasset) Simplicius pontifex intellexisset, Petrum Moggum Alexandrinæ sedis quondam inuasorem, postquam inde eiectus fuisset, in ciuitate latere, ibique multos seducere, mandauit Acacio, vt eiusdem Moggi relationem apud imperatorem vrgeat. Missum ad se libellum pœnitentiæ eorum qui a fide catholica per Eutychnos principes & antistites seducti fuerant, approbat, iisque absolutionem ab hæresi soli apostolicæ sedi reseruata paterno affectu impendit. Vnde quid aliud colligas, nisi quod Simplicius pontifex eam cathedram occuparit, qua auctore Deo altissimo supra firmam petram ita est ædificata, vt aduersus eam nulla hominum inferorumque potentia præualere possit? Quas turbas inuasores duarum sedium patriarchalium Petrus Cnaphæus, Timotheus Ælurus & Petrus Moggus in ecclesia concitarint, ex notis epistolarum Simplicii patebit. Zeno imperator qua ratione imperium adeptus, postque Basilici tyrannidem restitutus, qualisve in Deum & religionem fuerit, ibidem dicitur. Memorabile est, quod hoc tempore accidisse refert Nicephorus lib. 15. cap. 12. nimirum duobus episcopis concertantibus, vno Ariano, altero catholico, Arianum a catholico prouocatum esse ad testimonium per ignem; recusante Ariano, catholicum per ignem illæsum transisse, & ex igne dispartasse.

^b Sedit annos quindecim, mensẽ vnũ & dies septem.] Annis quin-
SIT iij

Zeno imperator persecuitur ecclesiam in occidente.

Simplicius quid egerit.

Romana ecclesia a Deo gubernatur.

Memorabile aliquid refertur.

Quamdiu fedetit.

decim, mensibus quinque & diebus decem sedisse, initium pontificatus & obitus Simplicii ostendunt. Principio enim mensis Martii, anno Domini 483. defunctum esse, constat ex epistola Felicis successoris eiusdem.

Basilica S. Andreae.

* *Basilicam beati apostoli Andreae.*] Hæc basilica in monte Esquilino olim erecta, hoc tempore penitus diruta iacet. Apud Platinam vnum eiusdem monumentum conseruatum extat his verbis: *Hoc autem in templo hæc carmina legisse me memini musiuo opere descripta:*

*Hæc tibi mens valide decreuit prædia Christe,
Cui testator opes detulit ille suas.
Simpliciusque papa sacris celestibus aptans,
Effecit vere muneris esse tui.
Ne quod apostolici deessent limina nobis,
Martyris Andrea nomina composuit.
Vtitur hæc heres titulis ecclesia iustis,
Succedensque domo mystica iura locat.
Plebs deuota veni, perque hæc commercia disce,
Terreno censu regna superna peti. Hæc ex Platina.*

Hebdomadarii pœnitentiarum qui.

^a *Constituit hebdomadas, vt presbyteri manerent ibi propter pœnitentes & baptismum, &c.]* Constituit vt propter ingruentem populum, presbyteri per vices hebdomadales in designatis ecclesiis præstolentur, semperque ad confessiones peccatorum audiendas, & ad reliqua sacramenta pro necessitate fidelium dispensanda parati adsint. Qui hoc munus peragebant, dicti sunt hebdomadarii, ideo quod alii alius per vices succederent. Vnde manifestum est, sacramentalem peccatorum confessionem a Christo Domino institutam, anterioribus sæculis huc vsque frequentatam fuisse. Quod nouantes nostri temporis aiunt, Nectarium Constantinopolitanum episcopum cum presbytero pœnitentiarum, eiusve munere & officio, sacramentalem peccatorum confessionem sustulisse, ridiculum est. Nihil enim ad substantialem usum huius sacramenti pertinens Nectarius sustulit, sed tantum vel abstulit, vel moderatus est illum ritum, quo publica peccata per libellum confessionis pœnitentiarum presbytero oblaturi recensebantur, atque ab eodem illa quæ maius scandalum generabant, publice recitabantur, prout ille pro sua prudentia necessarium esse iudicabat. Quoniam igitur huius occasione scandalum illud, quod de diacono & muliere quadam referunt Socrates & Sozomenus, obortum fuerat, hanc consuetudinem & ritum publicæ pœnitentiæ Nectarius sustulit. Et quoad hoc, eum multi alii episcopi fortasse imitati sunt: quamuis non defuerint, qui grauitur tulerunt, antiquam illam & honestam consuetudinem, & ad frenandos peccatores vtilissimam, abrogatam esse. Poterat enim hac in re pro diuersitate locorum & temporum esse diuersitas iudiciorum absque errore. Quocirca cum Socrates libro quinto, capite decimonono, & Sozomenus libro sexto, capite decimosexto, referunt, *vnumquemque relictum esse consilio animi sui, &c.* si illud Socrates Nouatianus hostisque pœ-

Quem pœnitentiæ ritum Nectarius Constantinus abrogauit.

Socrates exponitur.

* His
LEONIS
restitu

nitentiæ, & Sozomenus, teste Gregorio libro sexto, epistola 195. frequenter mentiri solitus, maliciose non addiderunt, exponendum est id factum fuisse, non ad excludendam confessionem, sed publicam illam satisfactionem & consultationem presbyteri pœnitentiarum: atque hoc modo vniuscuiusque libertati relictum fuisse, vt confiteretur cui vellet sacerdoti iurisdictionem habenti, & iuxta illius præscriptum peracta pœnitentia ad sacra mysteria accederet. Ita Bellarminus lib. 3. de pœnitentia cap. 14. Suarez tomo quarto, disput. 17. sectione secunda, num. 30. & sequentibus. Illustrissimus cardinalis Baronius tomo primo, anno Domini 56. totam hanc historiam, quasi a Socrate Nouatiano, & Sozomeno mendace conficta sit, omnino fere reiicere videtur. Quod cum citra difficultates grauiores sustineri non possit, placet magis id quod supra dixi. Vide notas Concilii Laodiceni.

* *Regionem.*] Ex septem regionibus vrbis, Eruli qui ecclesiæ catholicæ non communicabant, vt pote quod Ariani essent, tres occupabant. Vnde factum est, quod Simplicius pontifex quatuor tantum regionibus pœnitentiarum, eosque hebdomadarios presbyteros posuerit. Ita Romanæ ecclesiæ auctoritas atque maiestas effulsit, quantumuis occidentalis orbis Romani imperatores defecissent, barbarumque Ariani in Italia principatum obtinerent.

† *Sub huius episcopatu.*] Harum rerum enarrationem prolixiorum vide infra in notis epistolarum.

‡ *Cessauit episcopatus.*] Hoc tempore Basilium præfectum Romæ quædam præsumpsisse, enarratur infra in actione tertia Synodi.

Cur quatuor tantum pœnitentiarum constituti.

*EPISTOLA I.
SIMPLICII PAPÆ

* HISPALENSEM
restitu.

AD ZENONEM * SPALENSEM EPISCOPVM,
De commissa illi vice apostolicæ sedis in omnibus Hispaniarum ecclesiis. Hispalensem episcopum virum optimum sedis apostolicæ vicarium constituit.

Dilectissimo fratri Zenoni Simplicius.

PLVRIMORVM relatu comperimus, dilectionem tuam feruore Spiritus sancti ita te ecclesiæ gubernatorem existere, vt naufragii detrimenta, Deo auctore, non sentiat. Talibus idcirco gloriantes iudiciis, congruum duximus, vicaria sedis nostræ te auctoritate fulciri, cuius vigore munitus, apostolicæ institutionis decreta, vel sanctorum terminos patrum, nullo modo transcendere permittas: quoniam digna honoris remuneratione cumulandus est, per quem in his regionibus diuinus cre-

scere innotuit cultus. Deus te incolumem custodiat, frater carissime.

NOTA.

* *Epistola.*] Hæc epistola magnum & vigilantissimum Simplicii papæ studium ostendit, quod sub gladio Erulorum existens, non prætermiserit sollicitudinem externarum ecclesiarum, quæ longius positæ, sub Gothica seruitute gemebant. Obseruandum, quod sicut hoc loco Zenone Hispalensem ecclesiarum Hispanicarum vicarium constituit, ita alibi Acacio Constantinopolitano in orientalibus ecclesiis moderandis vices suas delegauerit. Idque factum ideo, ut is cui totius ecclesiæ cura a Deo commissa fuit, nulla in re officio suo defuisse videretur. Vide quæ diximus supra in notis Canonis vigesimi Concilii Sardicenis.

EPISTOLA II.
SIMPLICII PAPÆ

AD IOANNEM RAVENNATEM EPISCOPVM.

Reprehendit Ioannem, quod Gregorium adhibita vi episcopum ordinasset; cui ut Mutinensem ecclesiam, nullam causam cum Ioanne habiturus, gubernet, præcipit.

Simplicius episcopus Ioanni episcopo Rauennati.

SI quis esset intuitus ecclesiasticæ disciplinæ, vel si quid apud te sacerdotalis modestiæ teneretur, nunquam plectibiles perpetrarentur excessus: a quibus si nullo te paternarum regularum poteras continere præcepto, saltem sanctæ memoriæ prædecessoris tui fueras reuocandus exemplo. Qui cum minus deliquisset faciendo presbyterum inuitum, fenserat tamen dignum pro tali vspuratione iudicium. Vbi ista didicisti, quæ in fratrem & coepiscopum nostrum Gregorium non electione, sed inuidia perpetrasti, quem inexcusabili violentia pertrahi ad te passus es, atque vexari, ut ei honorem tantum non per animi tranquillitatem, sed per amentiam (sicut dicendum est) irrogares? Neque enim talia potuissent fieri sanitate consilii. Nolumus exaggerare quod gestum est, ne cogamur iudicare quod dignum est. Nam priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Sed vna nos ratio facit esse sententiæ mollioris, quam malimus te, fratre & coepiscopo nostro Proiecto referen-

11. q. 3. Priuilegium omnino. Et est verbum Gregorii in registro.

te,

te, cognoscere, non nostris literis propter opprobrium publicare. Nam scandalum, cuius auctor cognosceris, ita moderatio nostra compescuit, ut frater & coepiscopus meus Gregorius (quem non prouectum constat esse, sed pulsum) nullam causam (sicut petiit) tecum habiturus, Mutinensem gubernet ecclesiam, & contubernium * spiri-
 *speciale. ritale, quod fortiri non oportebat inuitum, non recuset amplecti. Cui si quid negotii forsitan emerferit, nostrum
 *ab * ex eo vel contra eum petatur examen. Necessitatibus etiam, quas (faciente te) compellitur sustinere, hac definitione consulemus, ut refuso prædio, quod ante annum
 *ibi * sibi datum esse commemorat, atque ad ecclesiam Rauennatensem reuerso, possessio in Bononiensi triginta solidorum * reddituum liberorum sine dubitatione tradatur, in diem scilicet vitæ eius, saluo proprietatis iure Rauennatis ecclesiæ, ad quam post prædicti obitum reuertetur. Quod si non fuerit nostris paritum constitutis, quid post transgressionem maneat contumacem, ipse perpendis. Denuntiamus autem, quod si posthac quidquam tale præsumpseris, & aliquem seu episcopum seu presbyterum, seu diaconum, inuitum facere forte credideris, ordinationes tibi Rauennatis ecclesiæ vel Æmiliensis noueris auferendas. Data tertio Kalendas Iunii, Seuerino viro clarissimo consule.

25. q. 2. Denuntiamus autem.

Anno Domini 481.

EPISTOLA III.
 SIMPLICII PAPÆ
 AD FLORENTIVM, EQVITIVM ET SEVERVM
 EPISCOPOS.

Gaudentius Aufiniensis episcopus, ob illicitas ordinationes factas, munere sacerdotali & triplici parte reddituum ecclesiæ priuatur.

Simplicius episcopus, Florentio, Equitio & Seuerio episcopis.

RELATIO nos vestræ dilectionis instruxit, & gestorum series plenius intimauit, Gaudentium Aufiniensis ecclesiæ sacerdotem, contra statuta Canonum ac nostra præcepta, ordinationes illicitas perpetrasse, quarum illi totam penitus auferri præcipimus potestatem. Scripsimus enim ad Seuerum fratrem & coepiscopum no-

Concil. Tom. 9.

Ttt

strum, vt (si neceſſe fuerit) ipſe in ſupradicta eccleſia, conſideratis patrum regulis, hoc fungatur officio, quo ille abuſus eſſe conuictus eſt: ita vt hi qui illicite ab eodem ſunt prouecti, ab eccleſiaſticis miniſteriis ſint remoti. Simul etiam de redditibus eccleſiæ vel oblatione fidelium, quid deceat neſcienti, nihil licere permittat, ſed ſola ei ex his ^{*vna} quarta portio remittatur. Duæ eccleſiaſticis fabricis, & erogationi peregrinorum & pauperum profutura, ^{*a Bon-} ab Onagro presbytero ſub periculo ſui ordinis miniſtrentur: vltima inter ſe clericis pro ſingulorum meritis diuidatur. At vero miniſteria eccleſiæ, quæ alienata comperimus, reparare præſumptor, prædicti fratris compellatur instantia, cui etiam hoc ſpecialiter præcipimus imminere, vt tres illas portiones, quas per triennium dicitur ſibi tantummodo vindicaſſe, reſtituat. ^{*xii.} Data decimotertio Kalendarum Decembrium, poſt conſulatum Leonis Auguſti.

11. qu. 2. De
redditibus
eccleſiæ.

Anno Do-
mini 475.

NOTA.

De diſputatione bonorum eccleſiæ plura ſupra dixi in notis Canonis apoſtolorum 39. & Concilio Gangrenſi, Canone 7. &c.

EPISTOLA IV.
SIMPLICII PAPÆ
AD ZENONEM.

Rogat vt Timotheum Ælurum, qui Alexandrinam ſedem iterum occupare, & clam Conſtantinopoli ſuas hærefes diſſeminare conabatur, regia poteſtate cohibeat.

Zenoni Auguſto Simplicius episcopus.

CVPEREM quidem, quantum ad meam ſpectat deuotionis arbitrium, qua principes Chriſtianos iugi veneratione ſuſpicio, debita pietati veſtræ continuis officiis deferre colloquiis. Sed cum ad huius intentionis augmentum etiam ſacræ cura religionis accedat, ratio mihi negotii potioris incumbit, vt ſimul honorificentiam vobis prona mente perſoluam, & cauſas fidei fidenter inſinuem: quia me ad vtramque vel dicata trahit clementiæ veſtræ ſemper affectio, vel reſpectus ordinis mei & apoſtolicæ moderaminis ſolicitude compellit.

Functus igitur, glorioſiſſime ac clementiſſime fili im-

perator Auguste, munere salutandi, quæ in ecclesiis orientis per hæreticorum latrocinia recidiua rursus dicuntur <sup>thei immē-
sis sceleribus.</sup> scandala concitari, nec debeo filere, nec possum. Nam sicut in meam notitiam feruentium pro fide catholica detulerunt scripta monachorum, comperi Timotheum parricidam, qui Ægyptiacæ pridem vastator ecclesiæ in morem Cain (vt lectio diuina testatur) eiectus a facie ^{Genes. 4.} Dei, hoc est, ab ecclesiæ dignitate seclusus, & iam per deserta vagus, sceleratæ conscientiæ diu tormenta passurus, in exilium proprii erroris abductus est, resumptis pristini furoris incendiis, constasse nihilo minus agmina perditorum, & Alexandrinæ vrbis ecclesiam, quam sacerdotali prius sanguine cruentauit, ipsum denuo nunc cruentum depulsione legitimi peruasisse pontificis: vt cui illa relegationis humilitas iniicere debuerit ex iis quæ impie gesserat, aculeum pœnitendi, nutriendi potius otia tribuisse videatur atrocioris infaniæ: quo procul dubio Cain ipso longe detestabilior approbatur. Ille siquidem a perpetrato semel facinore damnatus abstinuit, hic profecit ad crimina maiora post pœnam.

Nec eo tamen scelerum sine contentus, Constantinopolitanam insuper vrbem, recti semper dogmatis amore flagrantem (ne quid intemeratum populator humanæ salutis omitteret) fertur audacter ingressus, & a suæ confortibus prauitatis libenter audisse soli Christo debitam vocem, qua plane non in nomine Domini venire benedictus, sed diuini culminis vsurpator euidenter est monstratus Antichristus: qui cum etiam a communione catholica tam laudabiliter esset exclusus, per quorundam priuatas domos, resperlis humano sanguine manibus, non diuina sacrificia, sed sacrilegia celebrasse memoratur: in quo vtique non est eius firmata susceptio, sed consciorum diuulgata proditio, cum eodem de illa iniquitatis sede, nisi respiscant, omnimode casuros, quam sicut diabolus pater eius, altissimo similem se faciens, æternam sibi perfidus construere non desinit ad ruinam.

Hæc venerabilis imperator, cum horreat animus vel a tanto gladiatore fuisse tentata, maximo tamen (fateor) stupore detineor, sub vestræ pietatis aspectibus potuisse

Concil. Tom. 9.

T t t ij

*Imitanda
proponit
exempla
Leonis &
Marciani
imperato-
rum.*

committi. Quis enim deuotam semper Deo clementiæ vestræ mentem, & orthodoxis deditam regulis, aut ignoret, aut ambigat? quippe qui supernæ dispositione prouidentia, sicut pro utilitate publica augustæ memoriæ Marciani pariter & Leonis eruditi virtutibus, sic eorum fitis etiam ad catholicam veritatem sensibus instituti: nec cuiquam omnino sit dubium, pietatem tuam illorum esse fidei sequacem, quorum es successor imperii. Quæ cum de vestræ tranquillitatis animo certa ab omnibus teneantur & fixa, absit vt temporibus vestris diuini cultus integritas, & antiquitus roborata fidei catholicæ putetur interpellanda sinceritas.

Respicite, quaeso, ad diuina beneficia; & quæ sint vobis collata, perpendite: atque vt hæc prospera valeant permanere, propitiandum esse censete auctorem muneris, non lædendum. Inter quælibet enim occupationes publicas a religioso principe magnopere procurandum est, quod eius protegit principatum: & præferenda cunctis rebus est cælestis obseruantia rectitudo, sine qua recte nulla consistunt. Suppetunt affatim clementiæ tuæ (si in palatii sui requiri mandat archiuis) cum nostrorum coeuntia definitione maiorum documenta copiosa. Neque enim conscientiam vestram latere credendum est, quæ per cunctas prouincias orientis ex imperii vestri arce diffusa sunt; illa scilicet, quæ vel ad augustæ memoriæ Marciani, nihilo minus & Leonis, vel ad Calchedonensis Concilii beatæ recordationis prædecessor meus Leo consulta direxit: quibus ita plene atque dilucide sacramentum dominicæ incarnationis exposuit, vt non modo catholicus, sed ne Christianus quidem valeat nuncupari, quisquis illic redemptionis suæ causas non euidenter agnoscat.

Certe vt facilis vobis necessaria non desit instructio, earundem exemplaria literarum ad fratrem & coepiscopum nostrum Acacium nisi vestris sensibus offerenda. Hæc igitur pietas tua si recensere dignetur, vel quæ totius orientis episcopi de huius prædicationis consensione rescripserint; aspiciet profecto examinata diligenter, & veraciter promulgata, atque ideo pestiferæ falsitatis ambagibus nequaquam debere pulsari. Quia re vera quæ de

Curare studeat Zenonem epistolam sancti Leonis.

scripturarum fonte purissimo sincera perspicuaque manarunt, nullis agitari nebulosæ versutiæ poterunt argumentis. Perstat enim in successoribus suis hæc & eadem apostolicæ normæ doctrinæ, cui Dominus totius curam ouibus iniunxit, cui se vsque ad finem sæculi minime defuturum, cui portas inferi nunquam præualituras esse Math. 16. promisit; cuius sententia quæ ligarentur in terris, solui testatus est non posse nec in cælo.

Quapropter clementiam vestram, cui mea vice propensius frater & coepiscopus meus Acacius supplicabit, precor atque obsecro, ut imitatores facti tantorum & talium prædecessorum, nefandæ præsumptionis operarios catholico pectore respuentes, regia censeatis potestate cohiberi. *Quisquis aliud* (sicut prædixit Apostolus) *præterquam accepimus, seminare molitur, anathema sit.* Nullus ad aures vestras perniciosis mentibus * subrependi pandatur accessus: nulla retrahendi quippiam de veteribus constitutis fiducia concedatur. *Quia* (sicut sæpius iterandum est) quod apostolicis manibus cum ecclesiæ vniuersalis assensu acie meruit euangelicæ falcis abscindi, vigorem sumere non potest renascendi: nec in dominicæ vitis * fructiuam valet redire propaginem, quod igni deputatum constat æterno.

Si hæresum denique machinamenta cunctarum ecclesiasticis prostrata decretis nunquam sinuntur oppugnatione elisa reparari certamina: * ante omnia autem quæso, ut beati Marci euangelistæ sedes (Alexandrinam loquor ecclesiam) a cruentissimi prædonis incubatione liberata, catholico reformetur antistiti, libertatemque suam pariter recipiat & quietem. At vero impius parricida, qui diuinis simul est reus legibus & humanis, reductus eodem quo iure fuerat ante detrusus, ab innocentium nece retrahatur animarum: procul a regno pietatis vestræ funesti capitis venena discedant: quæ quoniam salutiferæ prædicationis, auribus obturatis, medicantia verba capere nequiverunt, ab humani conuentus abducta pernicie, in virulentia suæ congrua solitudine contabescant: quo magis ac magis B. Petri apostoli voce, qualiscumque sedis eius minister, obtestor, ut inimicos antiquæ fidei non sinas impune grassari, qui vestros optatis habere sub-

iectos; vt veræ confessionis pacem cunctas Domini ser-
uare decernatis ecclesias, qui orbem vestri imperii desi-
deratis tenere pacatum; & vnicam spem salutis, quæ ge-
nus hominum ad regna cælestia vitamque perducit æter-
nam, nulla patiamini parte violari, qui placatum Deum
vel regno vestro cupitis, vel saluti. Data quarto Idus Ja-
nuarias, Basilisco * Augusto consule.

* & Ar-
mato
coll.

NOTA.

Occasio
epistole
scriptæ.

* *Epistola.*] Cum Simplicius ex fidelissima relatione monacho-
rum Constantinopolitanæ ecclesiæ accepisset, Timotheum Ælu-
rum, scelestissimum Alexandrinæ ecclesiæ inuasorem, non solum ab
exilio solutum fuisse, sed etiam libere Constantinopoli morari, ibique
vires omnes pro hæresi propaganda insumere; hanc epistolam ad Ze-
nonem Augustum, cuius patrocinio ipse clanculo fovebatur, scri-
psit: adiungit patentem ad Acacium episcopum scriptam hac de re
epistolam, eidem Zenoni offerendam, ea quidem intentione, ne in
transuersum ab hæreticis penitus ageretur. Et quamquam vni impe-
ratori omnis mali origo tribui deberet, vtpote qui sacrilegum inua-
sorem ecclesiæ ab exilio cum honore reuocasset; tamen ipsi culpam
adscribere prudentissime dissimulat, vt ad pœnitentiam agendam
commotum, faciat patrati sceleris destructorem.

Nota con-
sularis men-
dosa.

In consulari notam mendam irrepsit. nam loco *Armato*, qui
hoc anno, prout emendatiores fasti testantur, cum Basilisco consula-
tum agebat, positum est nomen Augusti.

* EPISTOLA V.

SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Scribit Acacio, vt omni conatu obsistat Timotheo,
ne Concilium vniuersale, quod ille apud
imperatorem agebat, habeatur.

Simplicius papa Acacio episcopo Constantinopolitano.

QVANTVM presbyterorum & ex diuersis monasteriis
Domino seruientium monachorum relatione pate-
factum est, ecclesias Domini rursus diabolus inquietat;
ita vt excluso Alexandrino sacerdote, hæreticus, atque
ab vniuersitate damnatus, eundem locum, de quo pul-
sus fuerat, occupasse dicatur: insuper quibusdam fauenti-
bus, Constantinopolim ausum fuisse contendere, vt ciui-
tas Christianorum principum circa fidei catholicæ veri-

tatem deuotione præcellens, & Christiana plebs in defensione religionis attenta, hæreticorum prauitate, quæ iam fuerat sopita, turbetur. Sed misericordia Dei, cuius est causa, non defuit, vt Timotheus, qui ab vniuersali ecclesia sacerdotalibus sententiis & imperialibus constitutis * iuste fuerat segregatus, ad ecclesiam tuæ dilectionis, vel ad fidelium domorum limina non permitteretur accedere. Quem conuentus nouos pro se didicimus comminari, resolui existimantem quod de se vniuersalis decreuit auctoritas. Vnde quia sanctæ memoriæ prædecessorum nostrorum extante doctrina, contra quam nefas est disputare, quisquis recte sapere videtur, nouis assertionibus non indiget edoceri, sed plana atque perfecta sunt omnia, quibus potest vel deceptus ab hæreticis erudiri, vel in vinea Domini plantandus institui, implorata fide clementissimi principis vocem faciendæ Synodi respui, nec sit apud aures imperatoris Christiani pigra suggestio; quia salus eius, & regni ipsius Christus est fortitudo.

Ergo cum prædictis presbyteris ac monachis opportune pietati eius nostro quoque nomine supplica, & legationem hanc pro nobis quoque clementiæ ipsius, ne quid * subrepat, insinua: omnium pariter precibus instruat, ne per occupationes publicas quieti ecclesiasticæ aliquas inimicus moliatur insidias: integritati suæ Alexandrinam reddi præstet ecclesiam, & beati Marci euangelistæ sede hostem parricidamque propellat; & qualiter catholicæ fidei teneatur integritas, in penetralibus aulae suæ dignanter inquirat. quæ ne aliqua forsitan fidei æmulorum fraude vitientur, licet in ecclesiæ tuæ possint scriniis inueniri, tamen exemplaria misimus, quæ pietati ipsius * præparabis offerre.

Nota namque & omnibus illic potestatibus celebrata, quæ sanctæ memoriæ prædecessor meus Leo ad consultationem augustæ recordationis Leonis scripserit, & quam veneranter accepta sint, recognoscant: appareat sic (vt confidimus) eius imitator fidei, cuius, propitiante Deo, dignior est successor imperii: sibi que scriptum æstimet, quidquid ante se principibus pia est traditum lectione. Illa est namque perennitas, regni que per seriem pro-

* al. iure est seg.

* al. subripitur,

* al. proparabis

paganda posteritas, sic in successore reperitur, quod a prædecessore descendit.

Oecumenica Concilia qua occasione cogenda.

Hortor ergo, frater carissime, ut modis omnibus faciendæ Synodi peruerforum conatibus resistatur; quæ non alias semper indicta est, nisi cum aliquid in prauis sensibus nouum, aut in assertionem dogmatum emerit ambiguum: ut in commune tractantibus, si quæ esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas; sicut primum Arii, ac deinde Nestorii, postremum Dioscori atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et (quod misericordia Christi Dei nostri saluatoris auertat) intemandum est, abominabile esse, contra sententias totius orbis Domini sacerdotum & principum vtriusque rectorum, damnatos reos restituere, reduci exules, relegatos in causâ nefariæ coniurationis absolui. Itaque (quod sæpe repetendum est) hæc omnia clementissimis auribus suppliciter intimato. Veniet procul dubio Deus in adiutorium vestrum, in cuius manu cor regis esse retinens constitutum potestatis suæ^{*} nesciat aliunde principium. Data^{al. ne- scit} quinto Idus Ianuarii.

NOTA.

^{*} *Epistola.*] Hæc est illa epistola ad Acacium scripta, quam pontifex patentem & nondum obsignatam cum præcedente epistola misit ad imperatorem illo fine & argumento, quo supra dixi.

*EPISTOLA VI.

SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Commendat Acacium, quod Timotheo Æluro nulla ecclesia Constantinopoli patuerit, hortaturque eundem ut imperatorem moneat, ne Calchedonensis Concilii statuta violari permittat.

Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.

CVM filii nostri illustris vir Latinus patricius, & spectabilis Madusius pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus, quod omni intentione curamus. Proxime namque cum presbyterorum & monacho-

nachorum de Timotheo olim ab vniuersali ecclesia separato querela venisset, tam Christianissimo principi, quam dilectioni tuæ scripsimus, vt modis omnibus resistatur, ne quid hæreticorum contra Calchedonensè Concilium molitur audacia, frater carissime: & dilectionis tuæ laudando constantiam, multum nobis, imo ipsi Domino placere memorauimus, quod damnatum hominem non solum fidei, sed etiam parricidii causa, nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus, vt cum ad dilectionem tuam eadem scripta peruenerint, imo etiam donec veniant, apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas, vt quæ totiens & bene statuta sunt, nulla obreptione violentur: quia regni eius certum & singulare est firmamentum, vero atque æterno regi congregatorum in causâ fidei diuino spiritu sacerdotum illæsum conseruare Concilium.

NOTA.

* *Epistola.*] Hanc epistolam, aliasque nonnullas eiusdem argumenti, occasione publicæ legationis, quam misit Odoacer ad Zenonem, Acacio scripsit. Ex Vaticano codice acceptam, primumque tomo i. epistolarum Romanorum pontificum excusam, huc transtulimus cum sequentibus. Qua occasione scrip-
ta.

EPISTOLA VII.

SIMPLICII PAPÆ

AD PRESBYTEROS ET ARCHIMANDRITAS
CONSTANTINOPOLITANOS.

Clericorum ac monachorum Constantinopoli degentium fidei constantiam commendat, cum Timotheum ad communionem non admiserint: illumque, vt sæpe damnatum, ostendit non audiendum.

*Simplicius episcopus, presbyteris & archimandritis
apud Constantinopolim constitutis.*

PER filium nostrum laudabilem virum Epiphanium literis vestræ dilectionis serius quam voluistis acceptis, magno sumus dolore permoti, quod illic intra
Concil. Tom. 9. V u u

ecclesiam Dei scandalorum recidiua nascuntur incendia, ubi * totius auctoritate apostolicæ sedis, & sententia Synodi vniuersalis extincta sunt. Cui namque in toto terrarum orbe cum peruersitate dogmatum nefandorum Nestorii, Eutychetis Dioscorique damnatio; cui Timothei rursus Alexandrinæ ecclesiæ peruasoris non est nota deiectio? Testis est anterius Ephesinum, testis est recens Calchedonensē Concilium, quod quisquis desiderat retractari, in numero fidelium pronuntiat se non haberi; cum prædictorum talis impietas auctoribus & principibus Christianis, non solum ab ecclesiæ corpore, verum a coetu omnium exiliis segregata diuersis, vnitæ sententiæ damnatione percussa est. De quorum nihil est nunc errore dicendum; quia post traditionem tantorum Domini sacerdotum, qui longe ante nos in vniuersa mundi parte has quoque hæreses euicerunt, beatæ recordationis prædecessor noster Leo multiplici sermone doctrinæ, quid catholicæ veritatis sequatur integritas, quid detestetur, asseruit. Hac eruditione fundata, non contentione opus est, vt adhuc tamquam de dubiis iudicetur. Sed sicut dilectionem vestram gaudemus facere, firmis contra deiectos stete vestigiis: nec vos aduersarius terreat, aut tardam putetis desuper venire victoriam. Cadere didicit, qui resultat. Breuiter hæc ad consultationem, imo etiam consolationem vestræ scripsimus caritati, volentes aliquos, quemadmodum cupitis, pro causæ necessitate dirigere, nisi ad omnem plenitudinem, non iam defendendæ, quæ * solidæ iacta est, ^{*al. totius} fidei, sed repellendis hæreticis atque damnatis illa sufficerent, quæ etiam ad sanctæ memoriæ Flavianum, atque ad sanctam Calchedonensē Synodum, vel ad augustæ recordationis Marcianum ac Leonem, beatæ memoriæ antecessorem meum scripsisse retinetis, atque totius orientis episcopi rescriptis ad principem tunc Leonem propriis intimarunt. Vnde insolubile esse non dubium est, quod vel ante decreuerunt in vnum conuenientes tot Domini sacerdotes, vel quod singuli per suas ecclesias constituti, eadem nihilo minus sentientes, diuersis quidem vocibus, sed vna mente dixerunt, damnantes errorum execrabilium auctores pariter & sequaces.

Quapropter inter tot formas, quæ erectæ sunt, prædicandi, non assertionem nouam, sed constantiam nitendum est. Iam probatum est, quid (Domino vos iuuante) profecerint labores vestri, Deo placitus fructus ostendit, quando eius domum vobis obfistentibus latroni introire non licuit, qui nonnullis occurrentibus sibi, latentes adhuc forsitan sui similes publicauit. non enim iunguntur bona pessimis, recta peruersis; nec possunt salutaria coire cum noxiis: quia luci communitio nulla cum tenebris, nec infideli portio cum fidei. Vnde necessario damnatorum comitabuntur exitum, qui talium delegere consortium; nisi forte resipiscentibus animis, & maxime qui nuper decepti sunt, videntes in quæ abrupta sunt ducti, ad splendorem veræ fidei discussa conferant se nube mendacii. Quod apostolicæ sedis pietate vt prouenire possit, optamus, quia vitam in Domini voluntate cognoscimus, ad Christianissimum quoque principem, vel ad fratrem & coepiscopum nostrum Acacium competentia simul scripta direximus, cuius accusandum silentium non putamus, quia scientes fidem probatissimi sacerdotis, certum tenemus, suum non esse quod tacuit. Vt autem plenius dilectio vestra cognoscat nostrarum, quas ad Christianissimum principem misimus, feriem literarum, exemplaria, internuntio quem misistis, redeunte, direximus. Data III. Idus Ianuarii, consule superscripto.

EPISTOLA VIII.

SIMPLICII AD ZENONEM

IMPERATOREM.

Gratulatur ei de recuperato imperio, hortaturque vt Alexandrinum episcopum sedi suæ restituat, & Leonis, & Calchedonensis Concilii decreta seruari faciat.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

INTER opera diuinæ prouidentia, quæ pia semper & iusta sunt, nostris quoque temporibus eloqui potentias Domini vix quælibet humana lingua sufficiet. Quis

Concil. Tom. 9.

Vuu ij

etenim valeat vel cogitatione complecti, vel voce depromere, quod in ipso vtriusque rei laborantis articulo & votis publicis religionis sanctæ reddidit vos quieti, nisi quod tanti consideratione miraculi clamandum est cum Propheta: *Hæc est mutatio dexteræ excelsi*, quæ exaltantes semetipfos potenter humiliat, & humiliantes se clementer exultat? in quibus etiam si dispensationis supernæ sagacius mensura libretur, profecto euidenter apparet, ideo perfidorum irrepsisse perniciem, ut fides clementiæ tuæ etiam inter aduersa probaretur; quantoque magis rebus vrgeri crederetur infestis, tanto clarius vestra magnanimitas immineret: atque ob hoc mansuetudinis vestræ de Constantinopolitana vrbe prouenisse discessum, ut vniuersorum desiderii expetiti, gloria maiore rediretis; ut ex contrariorum periculis, quod in vobis esset cunctis utile nosceretur. Dauidicæ nimirum illius virtutis exemplo, qua singulari patientia cedens paululum furoribus parricidæ, continuo victoriam populorum precibus imploratus præstantiore fastigio est reuersus in regnū. Latere igitur venerabilis imperator, eos fuisse tuos hostes, qui extiterunt diuinitatis inimici: atque gaude cum ecclesia laborasse, & cum fidei catholicæ libertate imperium restitutum, atque ut in omnibus doceas causam tibi cum Deo esse communem, cuius ope viriliter fretus insiste; ut per quem publicos incubatores subegit, ecclesiæ quoque depellat tyrannos. Sicut enim pietas vestra merito recteque confidit, illo nos tempore nihil aliud Deum nostrum suppliciter implorasse, quam ut nobis Romani imperii præfules quales nunc loquimur, redderentur; ita expectari cernis, ut huiusmodi vos esse ipsorum actuum qualitate monstretis. Respicite, quæso, augustæ memoriæ Marciani atque Leonis omni mundo conspicuam catholica deuotione constantiam; & salubri consideratione perpendite, cum in eodem loco stare nequiuerint qui ab eorum rectitudine deuiarunt, successorem regiæ potestatis legitimum, ac diuinitus attributum eum fore sine dubio, qui illorum fidei perstiterit imitator. Debes, gloriosissime & clementissime fili imperator, augustæ memoriæ tantorum virorum taliumque reuerentiam, debes vices muneribus

Vera imperatoris ius, ut eius causa sit cum Deo communis.

Dei. Ille te ad istorum reduxit imperium: tu Deo istis similem redde famulatum. Et quia hæc beato apostolo docente nos Petro, mea nuper humilitate prædicante, refutata sunt, a casuris, Deo fautore, proficiant in regni soliditate mansuris. Ego quidem literis, quas vestra clementia destinavit, pignus immensum venerandæ religiositatis accipiens, & ingenti gratulatione respiro, & omnino non ambigo mentem vestram in rebus diuinis gesturam longe potiora quam cupio: sed mei memor officii, in hanc partem clementiam tuam ideo prolixiore horror alloquio, quia imperii tui pariter & salutis affectu, illis te causis inharere semper exopto, quibus solis & præsentis regni stabilitas custoditur, & æterni gloria comparatur. Unde ante omnia precor, vt Alexandrinam ecclesiam non minus a funesto, quam ab hæretico peruasore clementiæ vestræ dispositionibus liberatam, catholico ac legitimo restitui censeatis antistiti; eisque etiam, quos temeritate diabolica diuersis ecclesiis ordinasse perhibetur, eiectionis, rectæ fidei subrogari constituatis episcopos: vt sicut rempublicam vestram a tyrannica dominatione purgastis, ita vbique ecclesiam Dei ab hæreticorum latrociniiis atque contagiis exuatis; nec id potius præualere patiamini, quod iniquitas temporum, & eos quos non solum vestro imperio, sed & in Deum quoque rebellis spiritus concitauit; quam quod tot tantique pontifices, & cum egregiis orthodoxisque pontificibus vniuersalis ecclesiæ decreuit assensus. Calchedonensis Synodi constituta, vel ea quæ beatæ memoriæ prædecessor meus Leo apostolica eruditione perdocuit, intemerata vigere iubeatis: quia nec vllomodo retractari potest, quod illorum definitione sopitum est, nec vllatenus recipi totiens vno vndique ore damnatus. Ipsa est quippe, sicut experti estis, catholica fides, quæ potentes de sede læsa deposuit, & exaltandos humiles custodita seruauit. Quare satis agendum est pietati tuæ, vt qui huius tibi auctor est doni, sit ipse etiam propagator. Data * octauo Idus Octobris post consulatum Basilisci & Armati.

* al. septimo

N O T A.

* *Epistola.*] Cum Zeno imperator scelestissimum Timotheum ab
V u u iij

Qua occasione hæc

epistola ad
Zenonem
imperio re-
stitutum
scripta sit.

exilio, quo illum Leo imperator multauerat, posthabitis omnium catholicorum votis, spretisque sanctissimi pontificis Leonis piis admonitionibus, reuocasset, & contra ipsum Christum Dominum in urbem introduxisset, accidit iusto Dei iudicio, vt Basiliscus flagellum Dei & virga furoris Domini ad Zenonem puniendum imperium inuaserit, eoque in exilium, vnde execrandum hæreticum reuocauerat, fugato, illud anno vno & sex mensibus tenuerit. Quibus euolutis, Zeno per huiusmodi vexationem nonnihil melior reditus, precibus & intercessione sanctæ protomartyris Theclæ, deuictio tyranno ad fasces imperii rediit, scriptaque statim ad pontificem Simplicium epistola, orthodoxæ fidei catholicæ professionem integerrimam edidit. Quam cum pontifex magno cum gaudio accepisset, hanc illi gratulatoriam epistolam reddidit, qua de recuperato per Dei gratiam imperio ei congratulatur, & vt amoto violento inuasore Timotheo, verum Alexandrinæ ecclesiæ antistitem exultantem sedi suæ restituat, hortatur. Inuasor sedis cognito zelo imperatoris, non expectans sententiam iudicis, *optauit sibi mortem*, inquit Liberatus capite decimo sexto, *& istud perseueranter orans, ab humana vita hausto veneno solutus est*. Ita in semetipsum iusto Dei iudicio vindex scelerum suorum insurrexit, cui imperatores qui præcesserunt, inique admodum ignouerunt.

EPISTOLA ACACII

AD SIMPLICIUM PAPAM.

Simplicium de Alexandrinæ ecclesiæ statu certiolem facit, scribens ob Timothei hæretici mortem, Petri Moggi eiusdem ecclesiæ perturbatoris fugam, pacem ecclesiæ redditam esse, ac Timotheum suæ sedi restitutum.

*Domino beatissimo, sancto patri, archiepiscopo Simplicio
Acacius.*

SOLICITVDINEM omnium ecclesiarum, secundum
1. Cor. 11. Apostolum, circumferentes, nos indefinenter hortamini, quamuis sponte vigilantes ac præcurrentes: sed vos diuinum zelum solito demonstratis, statum Alexandrinæ ecclesiæ certius requirentes, vt pro paternis Canonibus suscipiatis laborem, piissimo stillantes sudore pro his, sicut semper est approbatum. Sed Christus Dominus noster, qui diligentibus se in bonum cooperatur, nostris cogitationibus infidens, & vnam nobis in his mentem atque eandem pro gloria sua esse cognoscens, omnem victoriam ipse perfecit, confortes nos cum tranquillissimo
Rom. 8.

principe faciens, & Timotheum quidem decessorem, spirantem procellas, & ecclesiasticam tranquillitatem (sicut apparuit) conturbantem, vitæ subduxit humanæ, dicens ei; *Tace, & obmutesce.* Petrum quoque qui ab Alexandria Mar. 4. more similiter procellæ surrexerat, dissipauit, atque in æternam fugam (sancto Spiritu flante) conuertit, vnum & ipsum de his qui olim fuerant damnati. Sicut enim in nostris archiuis inuentum est, & de vestris scriniis, si dignamini requirere, poteritis agnoscere, quæ in tempore de eodem subsecuta, ab Alexandrino episcopo Romam ad alterutrum sint relata. Qui Petrus noctis existens filius, & operum diei lucentium alienus apparens, omnino tenebras ad latrocinium peragendum congruas, earum cooperator inueniens media nocte, adhuc iacente cadauere illius qui paternos Canones subuerterat, insepulto, subrepit in sedem, sicut ipse arbitratus est, vno & solo præsentem, & eo qui consors illius insistebat insanix, ita vt propter hoc maioribus suppliciis subderetur: nec quod sperabat effectum est. Sed ille quidem de se ex parte vel minima iudicans, nusquam penitus omnino comparuit. Timotheus autem paternorum Canonum custos, qui Daudicæ mansuetudinis exemplo subditur, & vsque in finem patiens, atque potestati propriæ restitutus a Christo, propriæ sedis honore lætatur: & spiritualium filiorum voces accipiens, gratiam curationis expectat, multiplicato in se honore a Christo principe sacerdotum: propter quem & tolerantix coronam sibimet religauit. Attentius igitur oret vestra beatitudo & pro Christianissimo imperatore, & pro nobis ipsi. Nihil enim prætermittitur eorum quæ ad custodiam ecclesiasticæ respiciunt disciplinæ. Vniuersam fraternitatem quæ vobiscum est in Christo, & ego & qui mecum sunt, salutamus. *Et alia manu:* In Domino conserueris sanctissime & beatissime pater.

SIMPLICII PAPÆ
 EPISTOLA IX.
 SIMPLICII PAPÆ
 AD ACACIVM.

Gratulatur Timotheum Alexandria episcopum catholicum suæ ecclesiæ fuisse restitutum.

Simplicius episcopus Acacio episcopo Constantinopolitano.

QVAM sit efficax supplicantium Domino perseverantia sacerdotum, & quam iucundo gratuletur affectu, studium quod defensionis fidei sinceris mentibus exhibetur, literis tuæ dilectionis agnoscitur, quando post tanta certamina, quibus Dei misericordia in causa propriæ religionis famulos & ministros suæ constituens potestati, probatissimos sibi fecit esse victores: si quidem Alexandrina ecclesia diuino tandem iudicio liberata, in confortium communium nos aduocans gaudiorum, eum qui ab hæretico fugatus fuerat, ad eius sedem rediisse testaris. Vnde animis exultantibus ad vniuersalis ecclesiæ quietem, Christo Deo nostro pro salute primum fidelissimi principis supplicamus, cui pro deuotione, qua cunctos anteuenit sacerdotes, pietas hæc diuina concedit, quæ nos liberos pro populis Christianis apud omnipotentiam cælestem præstat interpretes. Sicut ergo in reditu fratris & coepiscopi nostri Timothei gratulamur, ita eum commonente dilectione tua cupimus irreprehensibilem reperiri: quia meministi hoc, eum iamdudum fidelis præsulis non habuisse constantiam, quando ei, vt damnati Dioscori nomen inter altaria recitaretur, extortum est. Data tertio Idus Martii Illo viro clarissimo consule.

EPI-

EPISTOLA X.
SIMPLICII PAPÆ
AD ZENONEM IMPERATOREM.

Gratias agit, Timotheum Alexandrinæ ecclesiæ restitutum, eumque rogat, ut Petrum eiusdem ecclesiæ perturbatorem expelli iubeat.

Simplicius episcopus, Zenoni Augusto.

PER Petrum virum spectabilem comitem Placidia nobilissima femina olim diuinorum exultatione munerum, triumphalis in Domino regni vestri gloria dilatatur, cum vniuersalis ecclesiæ gaudio mediocritatis meæ literas obtulisse meminerim; nec inter vniuersos catholicæ fidei sacerdotes opera Domini nostri vel solus potui tacere, vel primus: quia secundum beatum Paulum apostolum, ecclesiarum omnium curam sustinens, mihi summam gaudii de reddita pro clementia vestra earum quiete specialiter vindicaui, quod vos diuinitatis auxilio, deiectis religionis & regni hostibus, meruerimus habere victores, & in vno eodemque prouentu, Christo in nobis vbique vincente, & cultus veræ fidei, & status est reparatus imperii: quod vtrumque ideo fuerat (diabolo se ad tempus interserente) turbatum, ut alterutrius aduersariis dissipatis, præconia fierent maiora vincentis; vnde tam præclaræ fructum virtutis adeptus cum lætitia vniuersalis ecclesiæ nunc quoque sine cessatione facio; tacere non possum gratias sine dubio perennes, quod antiquæ veræque fidei in fratre & coepiscopo meo Timotheo Alexandrinam ecclesiam reddidistis, cuius ad me nuper literæ commeantes, expulsâ profanitate Eurychetis atque Dioscori damnatorum, ad regendos orthodoxos beati Petri & euangelistæ Marci sedem (quod ante compertum est) se recepisse commemorauit; incitans nos volentes, ut hæc ipsa pietatis vestræ sensibus referremus. Ut ergo tranquillitas vestri perpetua & fixa sit regni, quietem quam cunctis in memorata ecclesia præstitistis, peruigili protectione custodite; & quod iuante vos Domino pro innocentium fecistis salute animarum, religiosiore studio & diligentia attentiore prote-

2. Cor. 12.
Romanus
pontifex
curam susti-
net omnium
ecclesiarum.

Concil. Tom. 9.

Xxx

gite : quia non minoris est gloriæ, quod condideris ser-
uare, quam concedere ; & omnibus est probatum, tan-
tum vobis diuini fauoris impensum, quantum Christia-
næ religioni a vestra pietate est sedulitatis exhibitum. Et
quamuis in omni parte regni sui profutura diuino cultui
prouidentia vestra non desisteret curis publicis tranquil-
litatem ecclesiæ præferre ; precor tamen, vt quod per
nos serio postulat, imo quod ipsi specialius supplicamus,
Petrum Alexandrinæ ecclesiæ peruasorem, & ob hoc iu-
re damnatum, quia moliri quædam latens in Alexan-
drina (sicut ad nos scriptum est) ciuitate contra hæc quæ a
vobis sunt statuta, memoratur ; ad exteriora transferri
piissima præceptione iubeatis, ne aliquos modicæ fidei
(quod facere perhibetur) infeiat, & ad peruersitatis suæ
instrumenta traducat. Longe sint ab innocentibus per-
niciosa contagia, vt per vos intra dominici gregis ouile
sit sinceritas, quam sola tenere potest imperialis aucto-
ritas.

EPISTOLA XI.
SIMPLICII PAPÆ
AD ACACIVM.

Scribit Timotheum Alexandria catholicum episcopum
a se veniam petiisse, quod Dioscori nomen inter al-
taria timore ductus recitasset, & se ad imperatorem
litteras dedisse, vt Petrum dictæ ecclesiæ perturbato-
rem procul arceat.

Simplicius episcopus, Acacio Constantinopolitano episcopo.

QVANTOS & quam vberes fructus constantiæ fidei,
& deuotarum circa religionem catholicam men-
tium semper habeat fortitudo, labor tuæ dilectionis &
eorum qui pariter repente diabolo iamdudum turban-
tur, ostendit. Nam cum Christi inimicus & regni Chri-
stiani semper aulam mox casurus inuaderet, atque im-
pia persecutione fideles Domini plebemque concuteret,
oratione atque vigiliis sacrilega tentamenta superauit,
& se victoria cælestis eo vsque porrexit, vt regressu reli-
giosissimi principis, ecclesiæ quoque Alexandrinæ ca-
tholicus redderetur antistes, de quo mox cum exulta-

tione diuinæ gratiæ gaudia nostra contulimus, & mutuis nos literis fecimus gratulari. Et licet lætitiæ ipsius nunquam sui defuerit plenitudo, tamen frater & coepiscopus noster Timotheus persecutione probabilior factus, pristini non immemor instituti, per fratrem & coepiscopum Isaiam, & filios nostros Nilum presbyterum, & Martyrium diaconum Alexandrinæ ecclesiæ solennia scripta direxit, quibus & illud quod ante perterritus de Dioscori nomine fecerat, se destruxisse memorauit, & remissionem ipsius erroris expetiit, nosque de quiete fecit ecclesiæ gratulari, expertus erga se quantum nobiscum tua caritas videt, quod in eo tunc reprehendimus non inultum & reconciliatum sibi, nunc diuinæ miserationis affectum, frater carissime, memoratis in vrbe, quæ mox venerant, constitutis occasionem filii nostri Petri, viri spectabilis comitis, quasi ex sententia proficiscentis amplexi, tam nostro proposito, quam petitione fratris & coepiscopi nostri Timothei, legatorumque ipsius precibus, id ipsum ad tuam voluimus peruenire notitiam, vt etiam nunc communium fieres particeps gaudiorum, & in prædictæ ecclesiæ tranquillitate (quemadmodum diximus) laboris tui nobiscum carperes fructum, & Christianissimo & clementissimo principi nostras literas offerens, super hac etiam re, vt & ipse quoque deuotionis & fidei propriæ donis, se Deo protegente, latetur, atque insistente caritate tua acrioribus studiis catholicæ religionis salutaria scripta mittendo munire dignetur ecclesias, ne (sicut experti sumus) in aliqua * religione antiquus ille serpens totiens excisi capitis viruseffundat, & inficendi aliquos occasionem (quod absit) rursus inueniat, prouida præceptorum suæ pietatis ordinatione disponat religiosi, & sicut euidentius approbavit Deo, se commendantibus legibus sanciat, ne vel in tenebris delitescant, & improuisi ambulantes in luce percutiant, & his quos in fide pauperes esse repperint (quod Propheta testatur) insidietur vt rapiat. Petrum maxime, qui nonnullarum domorum, sui que similibus latebris confouetur; *Psalm. 10.* & quem zelo fidei ab episcopatu constituit submoueri, in exteriores terras abiici, sicut & nos pietati eius scripsimus, ad ecclesiasticam pacem speciali præceptione de-

Concil. Tom. 9.

Xxx ij

*f. regio-
ne

cernat: quia rursus asseritur aliqua contra dispositionem fidei ipsius sine cessatione moliri. Quia igitur hæc opportunitate perlatoris fidissimi nos oportuit indicare, & specialius admonere, hortamur, vt cum internuntius remeare coeperit, vel si qua forsitan altera occasio reperietur, quamprimum nos facias certiores, & curam nostram subleuare deproperes. Vt autem perfecto gaudio gauderemus, idem frater & coepiscopus noster Timotheus exemplum libelli satisfactionis eorum, quos a catholica fidei veritate Timotheus & Petrus vtrique damnati, damnationis terrore traduxerant, veniam postulantes, ad nos pariter destinavit, sacerdotali pietate lapsis subuenire desiderans: quod diuinæ miserationis intuitu, quæ neminem vult perire, refutabile non putamus.

EPISTOLA XII.

SIMPLICII PAPÆ

AD ZENONEM IMPERATOREM.

Hortatur vt Timotheum Alexandrinæ ecclesiæ sua opera restitutum protegat, & vt Petrum eiusdem ecclesiæ perturbatorem longius expelli iubeat.

Simplicius episcopus Zenoni Augusto.

PROXIME quidem cum ad urbem frater & coepiscopus mediocritatis meæ Timotheus Alexandrinæ urbis antistes nouato more misisset, victoriam vestræ fidei in eius restitutione cognoui. Pietate enim vestra fulta diuinitatis auxilio, & imperii tranquillitas, & catholica religionis splendorem suum, scandalorum nube discussa, recepit integritas: de quo me gratias post Deum clementiæ vestræ egisse reminiscor, & nunc quoque cultum vestro regno debitum silere non potui, ne quodammodo viderer ingratus, si vobis qualibet opportunitate vel imperii vel ecclesiarum laudare desisterem tot triumphos. Exhibens ergo debita venerationis officium, precor vt studiosus circa vniuersos rectæ fidei sacerdotes, & maxime circa Alexandrinum episcopum, cuius certaminis & testes fuistis & iudices, protectionis impendatis auxilium, & decernatis piissimis constitutis Petrum sedis ipsius peruasorem (cui nec in diaconatu suus potuit or-

do constare) longius a tam præclara ciuitate relegari, ne
 * f. infr. * infirmiores fidei aliquos forte seducat, & in eadem ec-
 clesia (quod absit) quæ sopistis scandala rursus exagitet.
 Probastis in corpore illum vobis dexteræ suæ dedisse præ-
 sidium, qui ad totius orbis gaudium, & in ecclesiæ vni-
 uersalis exultationem in vestra clementia Romanum ser-
 uat imperium. Data x. Kalendas Nouembris, Illo viro
 clarissimo consule.

EPISTOLA XIII.

SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Eadem quæ in superiori epistola.

Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.

PROXIME quidem dilectioni tuæ, petentibus his qui
 ad nosa fratre & coepiscopo nostro Timotheo Ale-
 xandrinæ ecclesiæ antistite directi fuerant, commune
 gaudium literis indicaui, & de fructu piissimi operis, quod
 catholicis memoratæ ecclesiæ sacerdos est restitutus, pa-
 riter nos gaudere memorauimus: quod nunc quoque signifi-
 care properauimus, vt agnosceres gaudia silentium non
 amare. Vnde semper exultans, & orationum commu-
 nium cupiens vota sociari, hortor, frater carissime, vt
 rebus per clementissimum & Christianissimum princi-
 pem Deo auctore compositis, diligentia sollicitudo non
 desit: sed Petrus ab indebito sibi honore deiectus, in A-
 lexandrina regione non sinatur habitare, sed procul extra
 terminos patriæ, sicut etiam nos poposcimus, frequenti
 eum postules suggestione relegari; ne quos imperitorum
 prauitatis suæ persuasione seducat, & a catholicæ tramite
 veritatis auertat. Quidquid autem de religiosissimo im-
 petrabis imperio, cura tuæ dilectionis ad meam notitiam
 faciat peruenire, & nos actuum ad custodiam euangeli-
 cæ doctrinæ pertinentium det esse consortes. Data 16.
 Kalendas Nouembris, Illo viro clarissimo consule.

NOTA.

* *Epistola.*] Timotheus Alexandrinus episcopus in sedem restitutus. Timotheus
 Xxx iij

Alexandri-
nus sedi-
sue restitu-
tus, occa-
sione dedit
his quatuor
preceden-
tibus epi-
stolis scri-
bendis.

tus, tres hosce legatos, Isaiam episcopum, Nilum presbyterum & Martyrium diaconum ex more antiquo ad Romanum pontificem ablegauit, veniam rogans delicti sui illius, quo gladiis Eutychnorum coactus, contra constitutiones Leonis papæ, nomen Dioscori apud altare recitauit. Et quamquam id monitus fecisset, non leue tamen facinus illud in tanto pontifice videri poterat. Insuper eadem legatione notum fecit, Petrum Moggum Alexandrinæ sedis inuaforem, qui fugam captasse videbatur, in ciuitate latitare, & secreto rem agere seducentem multos, & cladem illius ecclesiæ gnauiter procurare: adeoque necessarium videri, vt ad hæc pericula tollenda, longius in exilium pelleretur. His acceptis scribit imperatori & Acacio episcopo Simplicius papa, petens hoc sedulo curari, vt quamprimum homo scelestus longius in exilium detrudatur: ideo in primis, quod episcopum Alexandriæ ageret, quem necdum diaconum ordinatum esse constaret. Vide Baronium anno 478. num. 9. & sequentibus.

EPISTOLA XIV.

SIMPLICII PAPÆ

AD ZENONEM IMPERATOREM.

Laudat imperatoris sollicitudinem in his puniendis, qui Antiochiæ in episcoporum cædes conspirauerant. Dolet suas ad Acacium literas executioni non fuisse mandatas, & Antiochenæ ecclesiæ antistitis electionem, Nicæni Concilii non obseruato decreto factam approbat.

Simplicius episcopus, Zenoni Augusto.

DE ecclesia Antiochena venerandos mihi semper vestræ pietatis apices gauisus accepi, quibus ingenito vobis studio catholicæ religionis post defensionem fidei, quæ vos seruat ac custodit, impietatis audaciam, & facinora apud Antiochiam perpetrata coercita reperimus. Exultantes vobis inesse animum fidelissimi sacerdotis & principis, vt imperialis auctoritas & iuncta Christianæ deuotioni acceptabilior Deo fieret, & appareret integritas, cum hi qui in episcoporum neces sacrilega cæde versati sunt, dignis iubentur perire suppliciis: in quo & quieti ecclesiæ & vestro consuleris imperio, qua vindicata Dei contumelia vlciscentis est gratia, & conciliatur his diuini fauoris auxilium, quorum cura sacrilegium non reliquerit impunitum. Sed vt loquar fiducialiter principi Chri-

Dum vindicatur Deo facta, contumelia, cõsultur imperio.

stiano, si præteritarum literarum, quas de Petri aliorumque nomine iamdudum ad fratrem & coepiscopum meum Acacium scripsisse memini, ordo teneretur, ad hoc non potuit peruenire, quod iure nunc meruit vindicare. Mandaueram namque ut facta suggestione pietati vestræ, prædictus, ut & ceteri qui per occasionem tyrannicæ dominationis inuaserant ecclesias Dei, extra metas vestri pellerentur imperii, ne pestiferis sensibus quibusque simplicioribus ore sacrilego virus infunderent, & verbis impiis contra fidem orthodoxam innocentiores animas fauciant; quod tum apparet, cum minus ista curantur, & leuia esse creduntur; actum est, ut (quemadmodum perhibetis) inter altaria, non iam plebs persuasionibus eorum, sed ipsi quoque præfules & prædicatores fidei perirent funestis gladiis sacerdotes. Vnde si quæ aliæ reliquæ sub vestro reperiuntur imperio, eas vel nunc in exteriores terras iubete propelli, ne qua deinceps in eo sit necessitas & causa supplicii; quia melius est aditum obstruxisse, quam poenam exegisse peccati. Et quoniam seditiones Antiochenas religiosissimo proposito sedandas non aliter existimastis, nisi præter præiudicium venerandi illius Concilii Nicæni apud Constantinopolim iisdem petentibus ordinaretur antistes, quod in eius tantummodo persona sic memorastis assumptum, ut deinceps secundum definitiones patrum orientali Synodo creatio Antiocheni pontificis referretur; nec haberi loco vultis iniuriæ, quod dissensionis gratia factum est auferenda. Tenet hanc pietatis vestræ beatus Petrus apostolus sponsonem, & Christianissimi fidelissimique principis mentem in hæc verba iurasse, quod posthac in Antiochena vrbe veteri more seruato a comprouincialibus suis episcopis ordinetur, ne quod nunc frater & coepiscopus meus Acacius vobis est iubentibus executus, in usum posteritatis veniat, & statuta patrum, quæ præcipue præstatis illaesa, confundat. Vnde quæ a vobis amore quietis sancte & religiose sunt ordinata, reprobare non possumus, ne status Antiochenæ ecclesiæ sub nostra dubitatione videatur ambiguus, præcipue cum is qui legitur ordinatus, testimonio clementiæ vestræ, & tanta sit prædicatione subnixus, ut in eo præter horum vulne-

Papa dispenſat contra Canonē Concilii Nicæni, ut seruetur pax.

Dispensat
papa in gra-
tiam impe-
ratoris.

rum dolorē posito possimus & ecclesiæ quæ illum meruit, gloriari. Hæc repensis sermonibus & venerationis officio respondere curavi, vt tantas hæreticorum fraudes & facinora diuinis & sæcularibus legibus persequenda, quæ sapius probatis esse tam noxia, de memoria & conuersatione hominum iubeatis auferri, quorum impietas nulla, quantum videtis, potest auctoritate compesci. Data x. Kalendaras Iulias post consulatum Illi viri clarissimi.

EPISTOLA XV.

SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Eadem quæ & in superiori.

Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.

CLEMENTISSIMI principis literis, tuæque dilectionis, de sacrilega & funestissima cæde, quæ apud Antiochiam facta est, sauciatus, & nimium affectus mœrore, respondeo, astruens, si quæ iam dudum de Petro & aliis complicibus eorum scripseram, & vt pietati eius cum ceteris, qui aderant, fratribus suggerere postularam, vt optauerat, ordinatum fuisset, hæreticorum temeritas ad tantum facinus non veniret; * ne aliquid necessitatis existeret, vt non aliter prædictæ subueniretur ecclesiæ, nisi vt aliquid de iure eius curatio ipsa minueret. ^{* f. nec} Quamuis enim profecerit ad quietem, quod Christianissimi principis iussione, vel sine præiudicio Canonum a tua caritate fuerit Antiochenus episcopus ordinatus: tamen non est sine inuidia factum, cuius cauendum deinceps etiam ille testatur, qui præcepit, exemplum. In quo pietati eius gratias dignum est nos referre: quoniam ita gloriæ suæ moderatus est potestatem, vt fidelissima deuotione patrum regulis submittere quæ iuberet, nec in auctoritatem recipi quod sequenti constituit aetate prohiberi: vt scilicet in hac tantummodo persona, quam iussu eius & studio quietis Antiochenis, non tua vsurpatione antistitem consecrasti, quod factum est necessitate sufficeret. In quo tuæ dilectionis non irrationabilem cognoscimus fuisse famulatum: quia ecclesiarum iura respiciens, diu te non imme-
rito

rito suspendisse testaris, ne videreris ambire quod tanto principi, & in tam graui causa, non poteras abnegare. Quapropter, frater carissime, institutorum veterum, quæ in te sunt probata, non immemor, sicut veniale iudicare non peruides quod tibi certum est imperatum, ita ipse dans honorem patribus, labora ne necessitas sit vlla faciendi quod optas nunc satisfactione purgari.

NOTA.

^a *Epistola.*] Auctore & impulsore Petro Cnaphæo, quem Zeno imperator ab ipso throno deiectum, in Antiochena ecclesia nimis inconsulte degere versarique permisit, Eutychniani ibidem nouas turbationes cruentasque seditiones vicissim concitarunt. Nam cum Stephanus orthodoxus episcopus, vna cum suis in magna ecclesia sacram synaxim solenniter celebraret, Petri Gnaphæi omnium hominum perditissimi soboles Eutychniani, confecto agmine, exercitibus gladiis furentes ingressi, in Dei sacerdotes sæuientes, eosdem sæuissime trucidarunt, sanctissimumque ipsum antistitem Stephanum, in quem potissimum maiore odio æstuabant, & ira incensi corripiebant, ad necem vsque atrocissimis tormentis confecerunt. De quo ex Ioanne Rhetore suorum temporum accuratissimo scriptore Euegrius lib. 3. cap. 10. hæc scribit. *Petro ecclesie Antiochena exturbato, Stephanus illius sedem cepit, quam triennio in hunc vsque annum tenuit. Hunc, subdit, Antiocheni calamis ad similitudinem hastarum præacutis, vti scribit Ioannes Rhetor, confecerunt.* Corpus eiusdem in Orontem amnem proiectum fuisse, ex eodem Ioanne scribit Nicephorus lib. 15. cap. 18. Postquam vero Zeno imperator missis Antiochiam militibus vltoribus, de sacrilegis homicidis debitas pœnas sumpisset, iussit, vt Antiochenus futurus episcopus Constantinopoli eligeretur: idque ideo, vt paci & quieti eius ciuitatis prospiceret. timebatur enim obducta cicatrix in vlcus vicissim eruptura, si de antistite deligendo Antiochiæ comitia haberentur. Electus est Constantinopoli Stephanus iunior. Sed cum id præter regulas ecclesiasticas & antiquam Antiochenæ ecclesiæ consuetudinem accidisset, vtpote quæ non nisi in Concilio omnium Syriæ episcoporum Antiochenum episcopum ordinare soleret, Zeno imperator literas ad pontificem scripsit, quibus ea quæ gesta erant, a Romano pontifice rata haberentur. Pontifex respondit, se factam ordinationem libenter ratam habiturum, modo exemplum hoc extraordinarium posteris nihil præiudicii adferat, idque imperator iuramento promittat. Ita nouo & prorsus inaudito exemplo contigit, vt qui a totius Syriæ episcopis ordinari soleret antistes Antiochenus, agente imperatore, & ratum habente pontifice Romano, Stephanus iunior ab Acacio Constantinopolitano episcopo ordinatus fuerit. Accidit etiam hac occasione, quod sicut latens humor malus, cum a natura in cutem transmittitur, leui confricatio.

Eutychniani
quas turbas
auctore Pe-
tro Fullone
Antiochiæ
concitarunt.

Stephanus
Antiochiæ
occisus.

Stephanus
iunior Con-
stantinopo-
licus ele-
ctus.

Qua occa-
sione Sim-
plicius ad
Zenonem
scripserit.

tione pruritus mordacior excitatur : ita plane ambitio primatus quæ in Acacio hæctenus latuit , hoc factò magis magisque incensa , appetitum primatus illi vehementiorem ingessit , vsque adeo , vt famis , seu potius explendæ rabiei causa , custodita Canonum claustra ruperit , & vincula catholicæ communionis fregerit , & se suosque posteros præcipites dederit , vt infra suo loco dicemus. Vide Baronium anno 479. num. 1. & 2.

*EPISTOLA XVI.

SIMPLICII PAPÆ

AD EVMDEM.

Calendionis Antiocheni episcopi electionem confirmat.

Simplicius episcopus , Acacio episcopo Constantinopolitano.

ANTIOCHENI exordium sacerdotis qua ratione fuerit serius indicatum , quamuis minime nos latere potuerit , tamen & ipse vel Synodus ipsius indicauit. Quod sicut non optauimus fieri , ita faciles excusationi , quam necessitas fecit , extitimus : quia quod voluntarium non est , vocari non potest in reatum. Et ideo per fratrem & coepiscopum nostrum Anastasium , qui ex prædicta regione directus est , literis quoque tuæ dilectionis acceptis , alterni vicissitudinem sermonis tuæ reddidimus caritati , necessario fratris & coepiscopi nostri Calendionis sacerdotium gremio apostolicæ sedis amplexi , in consortium nostrum per gratiam Christi Dei nostri tantæ vrbs antistitem collegii vnione numeramus. Miramur autem nihil nos de statu Antiochenæ ecclesiæ te instruente didicisse , quem nunc ita habere se comperimus , vt improbi per occasionem obitus^b sanctæ memoriæ Timothei eandem ecclesiam conentur habere captiuam. Vnde agendum est dilectioni tuæ cum clementissimo principe , ne conuellatur sub eius imperio , quod tyranni temporibus potuit obtineri. Data Idibus Iuliis , Seuerino viro clarissimo consule.

NOTÆ.

Stephanus
Antioche-
nus quando
mortuus.

* *Epistola.*] Anno redemptoris nostri 482. sub consulatu Seuerini , Stephanus iunior Antiochenus episcopus tertio anno sedis suæ ex hac vita migravit : collectaque ibidem Synodo vicinorum episcoporum , electus est in eius locum Calendion episcopus , qui , vt

testatur Euagrius lib. 3. capite 10. omnes se conuenientes induxit, vt tum hæretico Timotheo, tum literis Basilicæ generatim ad omnes scriptis, anathema dicerent: quique Zenonis permissu, magni illius Eustathii Antiocheni episcopi, de quo in notis Nicæni Concilii supra egimus, sacras reliquias Antiochiam transtulit. Ad hunc in sede Antiochena confirmandum missum esse Anastasium episcopum, eumque Calendionis electi confirmationem ab apostolica sede impetrasse, Simplicius papa Acacio Constantinopolitano renuntiat. Quid post hæc Acacius? Calendionem criminis læsæ maiestatis reum, adeoque episcopatu indignum esse denuntiat; tum quod factiosis quibusdam, vt ait Euagrius, contra Zenonem adhæsisset; tum etiam quod nomen eiusdem Zenonis e diptychis abtulisset. Gelasius epist. 11. ad Dardanos. Ita qui confessorem Eustathium in nomine confessoris recepit, sustinendo exilium confessionis gloriam est consecutus. *Post amotum Calendionem*, subdit Euagrius cap. 16. prædicti libri, *Petrus Fullo cognomento Cnaphens, qui ante Calendionem & Stephanum episcopus fuit Antiochie, perperam sedem recuperauit*: eaque per vim & dolum vicissim occupata, Theopaschitarum hæresim sæpe damnatam palam non tantum promulgauit, sed ipsi etiam sanctissimæ Trinitati in trisagio hymno crucem adscripsit, verbo & opere docens, non vnâ tantum personam, sed totam sacrosanctam Trinitatem passam esse. Vnde quam vehementer orientalis ecclesia turbata fuerit, infra dicetur. Vide Baronium anno 482. num. 2. 3.

^b *Sanctæ memoriæ Timothei.*] Timotheus Alexandrinus episcopus catholicus anno 492. diem obiit, cum sedisset annos 23. Liberatus cap. 16. Ab episcopis Ægypti in vnum coeuntibus communi consensu Ioannes homo orthodoxus in locum eiusdem subrogatus fuit. Missa est legatio, quæ electionis confirmationem peteret. Huius legationis relatu cum statum Antiochenæ ecclesiæ pontifex cognouisset, eumque Acacius subdole & malitiosè subticuisset, sequentem illi epistolam 17. scripsit, qua eum non immerito redarguit, quod de rebus tanti momenti nihil scripsisset, cum ex credito sibi vicariæ præfecturæ sedis apostolicæ officio illud facere debuisset.

Calendion
ei substituitur.

Acacius Calendionem de crimine læsæ maiestatis accusat, & episcopatu amouet.

Petrus Fullo eidem substituitur.

Timotheo Alexandrino Ioannes substituitur episcopus orthodoxus.

Occasio epistolæ.

SIMPLICII PAPÆ
 EPISTOLA XVII.
 SIMPLICII PAPÆ
 AD EVMDEM.

Conqueritur vna cum imperatoris literis ab eo literas non accepisse, & imperatorem, Petrum hæreticum in Alexandria episcopum petere, dum ipse paratus esset Ioannem confirmare: demum precatur vt imperatorem moneat, ne hæretico iam damnato fauere velit.

Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.

MIRAMVR pariter & dolemus, ita in tuæ dilectionis animo dissimulatam lacerare curam caritatis & fidei, vt cum Christianissimus imperator pietatis & religionis instinctu affandi me, & de causis ecclesiasticis consulendi, fideles atque solertes internuntios destinaret, ipse & alternæ gratiæ & vigilantia pastoralis oblitus, nec alloqui nos volueris, nec de his quæ ad catholica veritatis custodiam pertinebant, duxeris instruendos: atque ideo, frater carissime, quæ non immerito cernis libera affectione culpari, potiore diligentia repensando, cognosce proinde delegatum tibi munus impendens, sensus tuos prudenter attolle, & pro tuendis Calchedonensis Synodi constitutis vehementer inuigila, ne per negligentiam desidiamque nostram subreparatur gregibus Domini lethale * dispendium. Nuper ab Ægyptia Synodo, quæ & numero plurima, & fidei catholicæ esset communionem suffulta, atque ab ipso omni propemodum clero Alexandrinæ sedis ad nos ex more relatio missa patefecit, sanctæ memoriæ fratrem * quemdam & coepiscopum nostrum obiisse Timotheum, inque eius vicem consona fidelium voluntate Ioannem, cui ad sacerdotium constare crederentur omnia, subrogatum, vt nihil omnino restare videbatur, nisi vt Deo nostro gratias agentibus nobis, atque gaudentibus, vt sine strepitu, quod catholicus in defuncti ministerium successisset antistes, apostolicæ quoque moderationis assensu votiuam sumeret firmitatem: cum ecce secundum con-

Alexandri-
 næ ecclesiæ
 episcopum

* al. sus-
 pendium

* quon-
 dam

fuetudinem mihi talia disponenti tranquillissimi principis scripta sunt reddita, quibus memoratum tamquam periurii reum, quod fraternitati quoque tuæ non esse diceretur incognitum, sacerdotio perhiberet indignum. Illico retraxi pedem, & meam reuocaui super eius confirmatione sententiam, ne quid contra tantum ac tale testimonium præpropere fecisse iudicaretur. Sed illud me non mediocriter fecit attonitum, quod iisdem literis suis Petrum, qui hæreticorum socius dudum extitisse probeatur & princeps, quod conscientiam dilectionis tuæ meminimus non latere, instructionesque ipsas, quibus fuerit confutatus, nosse confidimus, quemque etiam dubium non sit adhuc extra communionem durare catholicam, sæpeque nos de eodem ex illa vrbe pellendo scripsisse sit certum, ad præfatæ ecclesiæ regimen existimet prouehendum: cumque promittat rectæ fidei definitionibus conuenire, a cuius utique (sicut superius dixi) consortio tam degit extraneus, quam ab eius communione discretus est, ad quam si nunc redire contendit, nisi per satisfactionem Christianis regulis competentem non potest introire, ac perinde non ad fastigium sacerdotalis dignitatis accedere; sed medelæ, quæ post poenitentiam præbenda est, consequenter aptari animæ suæ cupiens reconciliatus auxilium, non gradum summi honoris affectans, qui diu conuincitur fuisse peruersus, ne per speciem remeantis non remedium sinceræ saluationis inquirat, sed facultatem propagandæ prauitatis inueniat. Quo facto non hunc magis ab errore detrahimus, quam perniciem fidelibus irrogamus: eoque modo Calchedonensis Synodi statuta violantes, aditum sæua copulatione grassandi in ecclesiam lupis rapacibus aperimus. Denique ab eisdem ipsis, cum quibus olim a catholica participatione diuisus est, pontifex dicitur postulari: ut satis euidenter appareat, non eos rectam fidem velle, sed in præfule proprio nefandi dogmatis quarere potestatem; neque inter ipsos & veraciter sentientes pax inde possit fœda generari. Vnde hæreticarum mentium crescit funesta damnatio, & catholicorum succedit miseranda captiuitas. Tantis igitur malis atque periculis pro sacerdotii qualitate, & catholicæ prædicationis intuitu, ut qua potes ratione sapienter ob-

Romanus
pontifex
confirmat.

Hæretico
non patet
aditus ad
munera ec-
clesiastica,
nisi præce-
dat satisfa-
ctio.

fistas, maximis vndique rebus astringeris: nec dilectioni tuæ fas est id segnius operari, quod ad animæ tuæ causam, honoris æstimationisq; respectum non dubitas pertinere. Opportunitatibus ergo repertis, clementissimi principis voluntatem incessabiliter pro fide catholica supplicando, & ab his sedulo reuocare quæ nociua sunt dogmati Christiano, & secundum hæc quæ mandamus, informare crebro, inque eam partem quæ amica sit veritati, potius instare non desinas, & (vt sanctum Timotheum venerandus apostolus Paulus instituit) opportune, importune obsecrando, insinuando, exponendoque nullatenus allegare cessabis, & nobis subinde quæ gerantur, quæve gerenda sint, veraciter indicare, vt creditorum tibi met dispensatione dominica talentorum in hac multiplicatione fidelis seruus ostendaris, si non tantum in ecclesia cui præfides, sed vbicumque potueris, pro vnitæ catholica & pro paternis definitionibus suadere non renuas. Data Idibus Iuliis, Seuerino viro clarissimo consule.

1. Tim. 4.

NOTA.

Ioannem orthodoxū Alexandriæ episcopum Zeno amouit, eique Moggum substituit.

* *Epistola.*] Qua occasione hæc epistola scripta sit, dixi supra in notis epistolæ decimæ quintæ verbis *sanctæ memoriæ Timothei*. Subrogatum in locum Timothei Ioannem Zeno imperator impulsu Acacii episcopum amouit, eique nefandum illum Petrum Moggum ante deiectum hæreticum substituit, eo prætextu quod periurus esset Ioannes: utpote qui iurasset non futurum, vt pateretur se aliquando in Alexandrinum episcopum eligi. Vide Baronium anno 482. num. 11. & 12.

EPISTOLA SIMPLICII

AD EVMDEM.

Mirari se ait, Acacium de Alexandrinæ ecclesiæ vexationibus nequaquam se monuisse: hortatur autem vt imperatori insinuet, vt eidem ecclesiæ pax optata reddatur.

Dilectissimo fratri Acacio, Simplicius.

COGITATIONVM ferias non habemus: nec enim quiescere nos causa permittit, quam si relinquamus, apud Christum Dominum nostrum, cuius interest, * excusabiles sumus. Et mirum est, dilectionem tuam tot emensis temporibus, & tot opportunitatibus inde venientibus,

* f. inexcusabiles

nihil nos de Alexandrina ecclesia, quæ tam grauitè qua-
titur, instruere voluisse; cum monere te nec increpatio
nostra destiterit, vt, participata sollicitudine, literas meas
apud Christianissimum & clementissimum principem
præsentibus tuæ dilectionis prosequeris alloquiis, &
instituti veteris memor, in orthodoxorum defensionem
nobiscum sic semper incumberes, ne quisquam nostrum,
Christiana plebe pereunte, reatum deditiois incurrat,
& mercenarius potius videatur esse quam pastor. Vnde
hortamur dilectionem tuam, vt opportune atque impor-
tune piis auribus insinuare non desinat, quatenus remo-
tis scandalis quæ in Alexandrinam ecclesiam recidiuis au-
sibus irruerunt, pax optata reddatur, & celeriter vigilan-
tiæ tuæ profectus, posthabitis difficultatibus, inducatur.
Data octauo Idus Nouembris, Seuerino consule. *directa
per Restitutum.*

NOTA.

^a *Epistola.*] Perbreues hæc & aculeatas literas postremas ad Aca-
cium dedit Simplicius, quibus illum aduersus hæreticos ad prælium
euocare conatur; sed frustra, vt pote qui transfuga factus in castris
aduersariorum militet, sollicitèque apud imperatorem agat, vt duo
venenati colubri, truculentæ bestiæ & faces hæreticorum, Cna-
pheus & Moggus Antiochenæ & Alexandrinæ sedi obtrudantur, le-
gitimique possessores Calendion & Ioannes episcopi inde expel-
lantur.

Quare &
quando ad
Acacium
scripta.

ANNO
CHRISTI
474

CONCILIVM VIENNENSE.
IN CAUSA ROGATIONVM TRIDVANARVM
ANTE ASCENSIONEM DOMINI CELEBRANDARVM,
a beato Mamerto Viennensi episcopo sub Simplicio
papa, ^b circa annum Christi CCCCLXXIV. habitum.

NOTÆ.

^a *Concilium.*] De rebus in hac Synodo gestis chronicon Camera-
cense a reuerendo & eximio viro ac domino Georgio Coluenerio
facræ theologiæ academiæ Duacensis doctore ac professore absolu-
tissimo, collegiæ ecclesiæ ad sanctum Petrum canonico & schola-
stico, antiquitatis amantissimo, paucos ante annos editum, ac notis
illustratum, libro primo, capite octauo, ista: *Huius temporibus habi-
ta Synodus Vienna vrbe describitur; ad quam Galliarum episcopi a beato*